Digitized by Google

6
20-d
74

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 A
15

Bibliotheca
[illegible]ori Coll. Rom.
[illegible]ociet. Jesu

6-20-d-74-

20-e-22

20
e
15

Digitized by Google

Digitized by Google

EVTHYMIA

SIVE

DE TRANQVILLITATE ANIMI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Carmen Didaſcalicum

BENEDICTI ROGACCII

E SOCIETATE IESV.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

ROMÆ, MDCXC.

Typis, & expenſis Io. Iacobi Komarek Bohemi, propè S. Angelum Cuſtod.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

THYRSVS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Societ. Ieſu.

CVm Carmen Didaſcalicum, *Euthymia, ſiue de Tranquillitate animi* à Patre Benedicto Rogaccio noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem facimus, vt Typis mandetur, ſi ijs, ad quos ſpectat, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 22. Aprilis 1690.

Thyrſus Gonzalez.

VOlumen, cui titulus, *EVTHYMIA, ſiue de Tranquillitate animi*, in ſex, quibus conflatur, hexametrorum libris continet laudabilem vtilis, dulciſque mixturam; vnde poſſit, quiſquis oculos adijciat, ſe ſe componere ad omnem apathiam, non Stoicam, ſed Chriſtianam. Etenim expletur hìc illud iambici Græcorum ſenarij:

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ στίχοι,

quòd videlicet rei poeticæ operantes, debent, inſtar experientis Medici, ſub aſciticijs verſuum dulcoribus proficuam animæ ægrotanti pharmaciam exhibere. Eam vtique exhibuiſſe videtur huiuſce poematis concinnator, dum ad amoliendam è ſalubri, quàm propinat, potione amariciem, vſus induſtrio (vt cecinit ille alter) Camœnæ lenocinio, *Priùs oras pocula circùm*

Illinijt mellis dulci flauoque liquore. Quare cum operi huic nihil ineſſe repererim, quod regulis Indicis refragetur, publici iuris faciendum puto, tum vt Pieridum mundiciei conſulatur, tum ob id etiam, vt apud verſatos in amœna eiuſmodi literarum Sparta,

Omne ferat *punctum qui miſcuit vtile dulci*.

Dat. è Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam prid. Kal. Iunij, anno Chriſtiani Orbis MDCXC.

Fr. Angelus Iulianus Theol. Dominicanus, ac Fidei olim Quæſitor Genuæ.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

Stephanus Ioſeph Menattus Viceſg. Epiſc. Cyrenen.

Imprimatur

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædic.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IVſtiſſima fuit Senecæ Rhetoris de intemperanti nonnullorum iudicio querela, qui *nuſquam* reperiri *ſubtilitatem putarent; niſi, vbi nihil, præter ſubtilitatem, eſſet*. [1.] Non minori ego iure ſimilem aliorum intemperantiam damnauerim; qui nullum ſat iucundum exiſtimant carmen, niſi, in quo mera iucunditas ſit: omnemque adeo illius interire arbitrantur venuſtatem, & gratiam; niſi ad innatas poetici tum numeri, tum ſtyli delicias fabularum etiam feſtiuitas, & amœnioris materiæ lenocinium acceſſerit: quid aliud tam inſatiabili luxu, quàm condimentis condimenta quærentes, & vel ipſa quodammodo (vt de purpurarum infectoribus loquitur Plinius) [2] *Adulterantes adulteria Naturæ*? Atquì, ſi voluptarij iſti hu-

1) *Controu. lib. 1.*
(2) *Lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 40.*

Digitized by Google

humanioris literaturæ Epicuri, non Ariſtotelem dicam, & Flaccum, geminam illam biuerticis Parnaſſi cortinam, ſed vel Apicium, & Philoxenum aliquem, ad ſuam magis factos ſaliuam doctores, conſulerent; nę ipſorum quoque argumentis & placitis ſuam redargui ſententiam audirent: facilè intellecturi, blandiſſimam poetici ſtyli ſuauitatem, ceu dulciſſimum mellis ſaporem, nulli conuenientiùs, quàm auſteriori materiæ admiſceri.

Et verò vtinam Poetarum id omnes, pro eo, ac rei dignitas poſtulat, in animum vellent inducere, omiſſoque ſterilium amœnitatum aucupio, frugifera duntaxat & ſeria carminibus ſuis argumenta adoptarent: quantò illi præclariùs tum publicæ vtilitati, tum ſuæ dignitati conſulerent?

Communis certè fructus nec in dubium vocari, nec verbis ſat exprimi poteſt. Nam, cum nihil hominum generi ex hæreditariâ primi parentis noxâ luctuoſum acciderit magis, quàm inde excitatum Rationis à Senſibus, veræque vtilitatis à voluptate diſſidium; an non inæſtimabili Poeſis beneficio ſibi vitam obſtringeret; ſi, Philoſophiæ ſalubritatem

tatem ſuâ iucunditate reſpergens, duo hæc tam eximia felicitatis humanæ elementa in antiquam reuocaret concordiam; & illud animorum Bono conficeret temperationis pulcherrimæ genus, quod ad corporum opportunitates Natura, teſte Plinio, [1] confecit: *Dum in floribus pinxit remedia, & delicijs auxilia permiſcuit?*

Sed nec ipſi certus, atque locuples minùs indidem reſponderet gloriæ prouentus: nemine dubitaturo nobiliſſimum, & principem ei locum facultati aſſignare, quæ cæteris omnibus tum efficaciùs, tum leniùs ad felicitatem homines duceret: id nimirum efficiens, vt, quæ honeſta ſunt, ijs etiam videantur ſuauia: quo vno ſuam omnem in pueris educandis contineri ſolertiam, magnificè, ſapienterque antiquus ille Laco [2] affirmauit: immo quod potiſſimum eſt, vel Diuinæ ipſius Gratiæ, in noſtrâ ſibi voluntate conciliandâ, perfectamque ad virtutem prouehendâ, artificium. Libeat Horatium [3] audire.

 Fuit

(1) *Lib. 22. Hiſt. Nat. cap. 6.*
(2) *Plut. in lib. Virt. poſſe doceri.*
(3) *In Art. Poet.*

Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Cõcubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Veriſſimè dictum. Sic venit quondam: & ſic veniet deinceps, quandiu ſapientiæ non abſimilis fruge Muſarum delicias fermentari contigerit.

Quid, quòd ponderoſa ſuccique plena iſtius modi carmina, præter laudem, quam Authoribus pariunt, vberiori etiam voluptate Lectores perfunderent? Quemadmodum enim nulla ſiue deambulatio, [1] quàm quæ in proximi maris conſpectu; ſiue nauigatio, quàm quæ ſecundùm litus peragitur, iucundiùs oblectat: eò quòd permiſta & in vnum conſpirans elementi vtriuſque varietas earum amœnitatem congeminet; ſic neque Philoſophia, quàm vbi poeticis illigetur modulis; neque Poeſis, quàm vbi Philoſophica moduletur oracula, iucunditatis plus habet: intendente ſe nimirum, dum inuicem temperatur, & coniunctim ad animum peruenit,

(1) *Plut. Symp. lib. 1. qu. 4.*

Digitized by Google

uenit, natiuâ vtriuſque facultatis dulcedine.

Quæ cum ego perſuaſiſſima haberem, cumque in illuſtrium Poetarum lectitandis carminibus, ſi quis fortè de moribus locus ſplendidè, actuosèque tractatus occurreret, non ſecus ac Phalereus ille Apollodorus [1] inter Socraticos audiendos ſermones, extolli mihi animum, dulcique quodam quaſi ſtupore, & generoſâ voluptate compleri experirer; pro certo conſtitui, non poſſe me Muſis cum ampliori tum earum dignitate, tum Lectorum approbatione operari, quàm aliquo id genus argumento ad canendum ſuſcepto.

Neque longa illius in delectu ambigentem conſultatio detinuit. Statim quippe Democriti EVTHYMIA, ſiue, vt Seneca [2] interpretatur, Tranquillitas animi, ſolido intra ſemetipſum gaudio, & ſecurâ quiete compoſiti, ante oculos fulſit, eximiæque ſuæ pulchritudinis imperioſiſſimâ vi ſtylum ad ſe totum, atque mentem conuertit? Quid enim illâ humanis in rebus nobilius,

(1) *Plato in Conu.*
(2) *Laert. in Vita Dem. Senec. cap. 2. de Tranq.*

bilius, quæ perfectâ ex ſapientiâ, ac virtute, quidam veluti earum ſplendor, erumpit? Quid cordi ſuauius, perpetuis cuius votis, & ſtudijs, tanquam optatiſſimus finis, proponitur? Quid denique ſeu deſcriptionum illuſtrium, ſeu grandium ſententiarum, ſeu affectuum quà vehementium, quà lenium, totiuſque adeo poetici cultùs capacius: cum omnem penè vniuerſam, quæ de moribus, vitijsque, ac virtutibus agit, Philoſophorum doctrinam ſuo, quàm latiſſimè patens, includat amplexu?

Illius igitur comprehendendæ rationem aggreſſus deſcribere, duobus animaduerti totam cardinibus niti: altero, vt Mala, queis animus diſcruciatur, prohibeat; altero, vt Bonis, quibus idem acquieſcit, circumfluat: meamque proinde in eo curam omnem verſari oportere, vt, quo facillimè pacto tum illa propulſari; tum hæc obtineri poſſint, oſtenderem.

Iam verò vlteriùs progredienti omnium, quæcunque ſeu Bona dicerentur, ſeu Mala, duo ſe ſe obtulerunt ſuprema, eademque oppoſita ſibi inuicem genera. Primum fortuita, & variabilia complexum, cuiuſmodi paupertas, diuitiæ,

uitiæ, morbi, valetudo, & reliqua cauſis ab externis pendentia: quæ declinare, vel aſſequi non penitùs homini liberum; contrariam verò in partem traducere, ita ut e Malis Bona, aut Mala e Bonis reddantur, cuilibet pro diuersâ vtendi ratione liberrimum ſit: Secundum ex arbitrarijs, & immutabilibus conſtans, cuiusmodi virtutes, ac vitia: quod genus ſeu Bona adipiſci, ſeu Mala euitare, quandocunque voluntas ſic tulerit, poſſumus: congenitâ verò bonitate, & malitiâ, dum in animo adſunt, exuere, vel ſi maximè conemur, haud poſſumus.

His adeo obſeruatis, ad duo generalia præcepta vniuerſum Tranquillitatis quæſitæ artificium reuocari intellexi: alterum quidem, vt Primis illis ſuâpte ambiguis naturâ, & in vtramvis flexibus partem ſeu Bonis, ſeu Malis conuenientiſſimâ ratione vteremur: alterum autem, vt, quæ ad Secundum pertinent genus, ſuæ naturæ tenacia, nec vnquam in diuerſum itura, ea ſiue Mala repellere, ſiue Bona comparare noſſemus. Sic etenim & Bonorum copiam præ manibus fore, quorum mens fructu expleretur, atque expleta demum

quieſceret; & Mala, quæ huiuſmodi quietem interpellarent, longè abfutura: excluſis videlicet ijs, quæ nocendi vim in ipſis ſuæ naturæ principijs defixam, penitiſſimèque inſitam habent; alijs verò ſapientem per vſum correctis, vt vel Mala eſſe deſinant; vel in Bonorum etiam ordinem tranſeant. Quod vtrumque præſtare nemini, iuxta dicta, in promptu non eſſet.

Et lex quidem poſterior, immutabilium tum Malorum omnimodam fugam, tum Bonorum inquiſitionem præſcribens, non ſolùm quàm neceſſariò ediceretur; ſed quid etiam ſeruandum proponeret, ſatis luculenter patebat. Prior verò, fortuitis & indifferentibus rectè vti præcipiens, tametſi de æquitate ſuâ nullum; aliquem tamen de praxi videbatur dubitandi locum relinquere: non omnibus facilè animaduerſuris, in quo demum prudens ille, tantique ad propoſitum finem momenti, Fortuitorum vſus conſiſteret.

Quod igitur vnum ad artificij totius Summam dilucidè, breuiterque explicandam ſupererat, ſedulò apud animum verſans, ſic tandem conſtitui, fortuitis quà Bonis, quà Malis ita nos

ſci-

ſcitiſſimè vſuros, ſi vtraque in contemnendis ac minimis, immo ſi nec verè Mala, nec vltra merum nomen Bona duxerimus: ab illorum propterea tum amore, tum metu quàm maximè immunes & vacui.

Nec temere id quidem, vt cuivis rem ritè æſtimanti patebit. Nam, ad Bona quòd pertinet, cum ea, ſuo ingenio caduca, precaria, incertiſque caſuum obnoxia, nec acquiri, nec acquiſita ſeruari pro arbitratu hominum poſſint; quorum animos Sui admiratione, atque amore occupauerint, perpetuis illos curarum aculeis effodiant, & iam deſiderio, iam timore ſolicitent, neceſſe eſt. Vnde manifeſtò colligitur, nec Bonorum appellationem mereri, cum amari nequeant, quin obſint; nec ad animi quietem conducere, cum iis oblectari animus, præter quietis detrimentum, minimè poſſit: vnumque adeo reliqui eſſe, vt deſpicatui ab Euthymiæ ſtudioſo habeantur, tunc ijs optimè vſuro, cum ea minimè amauerit. Sed & Malorum par ratio. Cum enim neque ipſa noſtræ voluntatis imperio ſubijcere, & omnino, ac quoties libuerit, prohibere à nobis poſſimus; niſi

ſaltem

ſaltem aſpernari nouerimus; aſſiduò certè vel in metu, ne ingruant; vel in mærore, quòd vrgeant, verſabimur. Vt nullum proinde opportuniorem eorum vſum, ac magnanimum & ſapientem neglectum, ſuis poſſit amatoribus Euthymia præſcribere.

En igitur totam argumenti propoſiti ſeriem, à communibus longè principijs, extremiſque notionibus ad ea, quæ ipſum propriè, intimèque conſtituunt, ordinato & continenti progreſſu deductam. En quæſiti artificij breuiſſimam Summam, atque partes præcipuas: nimirum fortuita, externæque originis ſeu Bona, ſeu Mala ita prorſus deſpicere; vt neque horum nos terror, nec illorum deſiderium commoueat: interiora e contrario, quæque ipſa ſibi parit voluntas, adeo impensè æſtimare; nihil vt primis ardentiùs quæratur, nihil alteris cautiùs vitetur.

Quæ, planiſſima, & nemini dubia, quiſquis probè perſpexerit, facilè agnoſcet, ſynceram, integramque animi Tranquillitatem nihil aliud demum eſſe, quàm nobiliſſimum quemdam de Fortunâ, deq; Stultitiâ Rationis triumphum. De Fortunâ quidem, dum illius

& do-

& dona calcantur, & tela infringuntur: de Stultitiâ verò, dum & grauiſſimis ipſius Malis aditus obſtruitur, & contrarijs ipſi Bonis mens communitur.

Hic itaque tam inſignis triumphus noſtro in opere ſex libris deſcribitur: ita diſtributis officijs, & partibus, vt primi quatuor Fortunæ ſubigendæ; qui ſuperſunt duo Stultitiæ profligandæ rationem exhibeant. Opportuna illi quidem ad victoriam de Fortunâ referendam arma ſuppeditant: dum Primus fucata & inſidioſa ipſius Bona docet contemnere; reliqui verò, ne ipſius Malis lædamur, proſpiciunt: Malis, inquam, ſeu procul terrentibus, quorum vim,& aculeos Secundus liber retundit; ſiue cominus ferientibus, quibus tum vniuerſis Tertius certa quædam in commune profutura remedia, tum ſingulis Quartus propria nominatim opponit auxilia. Nec ſegnius poſtremi duo ad debellandam excindendamque Stultitiam nos inſtruunt: dum Quintus, quæ ipſius Mala, & quo pacto arceantur, demonſtrat; Sextus verò contraria eidem perſequitur Bona, in eorum ſupremo, quodque totius Boni,& perfectæ Quietis Summam vel

vnum

vnum complectitur, Deo videlicet Optimo Maximo, deſinens.

Et hactenus quidem magnificè loqui de Operis materiâ, atque titulo citra inuidiam fas fuit, vt de re minimè noſtrâ, & quam non fecimus ipſi, ſed duntaxat elegimus. Ad formam quòd attinet, noſtri nempe partum laboris; id vnum verecundè pro meo ingenio candidèque profitendum exiſtimo: nihil me ſtudio, nihil diligentiæ pepercisſe, atque tempori, vt, præter rerum, quæ tractarentur, delectum; tractandi quoque modus & ratio, quoad per meas vires, docendique occupationes licebat, erudito Lectori non inſuauis accideret: hæc in primis curantem, vt vel minimæ quælibet operis partes aptiſſimo, maximèque naturali, & dilucido aliæ alias ordine exciperent, interque ſe necterentur: vt tam ſenſus, quàm eorum expoſitio cum Decori legibus, & naturæ ſimplicis genio ad amuſſim congruerent, perſpicuumque, nec difficilem intellectum haberent: vt ſtylus poſtremò à Veterum harmoniâ, varietate, elegantiâ, cæteroque carminis cultu ne nimiùm abeſſet.

Quo in conatu, perquàm ſanè operoſo

roſo plus licet laboris exhauſerim, quàm harum inexperti rerum vel animo & cogitatione aſſequi valeant; non tamen meæ huic, quantacunque illa fuerit, ſedulitati tantùm audeo tribuere, nuſquam vt à ſcopo aberraſſe, Lectorum nuſquam veniâ me indigere confidam: cum inſignis adeo felicitas, nedum anguſtos mediocritatis meæ fines; ſed vel ipſam humani conditionem ingenij videatur tranſcendere: longiori præſertim in opere: vbi (ceu Homerum nonnunquam dormitantem [1] Horatius excuſat) *Fas eſt obrepere ſomnum*. Quin ipſemet, præter alia, quæ imprudenti vitioſa, & minùs abſoluta excidere, pluribus mihi in locis diſpliceo: quæ tamen in melius recudere ſiue per ingenij tenuitatem; ſiue (vt mihi interdum ſubblandior) per contumaciam & difficultatem materiæ non licuit. Neque verò eiuſdem retentandi, quoad melior reſponderet ſucceſſus, conaminis, & emendationis vlteriùs protrahendæ mens deerat. Sedenim tum acciſæ corporis vires improbum, ne dicam infinitum, deprecabantur laborem; tum Apellis deterrebar iudicio, qui

(1) *In Art. Poet.*

qui Protogenem in cæteris ſibi omnibus vel æquans, vel etiam anteferens, hoc *Vno ſe præſtare* affirmauit, *quòd manum ille de tabulâ neſciret tollere: memorabili* (vt ſubdit [1] Plinius) *præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam*: dum ſimplicitatis videlicet gratiam curæ anxietate corrumpit. Præterquamquod cum Philoſophi, quam argumentum mihi impoſuit, perſonâ non admodum videbatur congruere, ſi adeo ſolicitus, & inſatiabilis forem circa vocularum delectum, numerorum iuncturas, idque genus ſcitamenta, & minutas concinnitates, quibus ſtyli vſquequaque terſi & exacti cultus abſoluitur: eam fortaſſe apud æquos cenſores, dum nullum emendandi finem facio, puſillæ humiliſque ſubiturus reprehenſionem ſolertiæ, qua Iſocratem à Plutarcho [2] ſuggillatum reperio, quòd nimirum antitheta, iſocola, ſimiliterque deſinentia conglutinans, & tantùm non dolabris verborum circuitiones complanans ac læuigans, tres penè Olympiadas in Panegyricâ pertexendâ oratione inſumpſiſſet, quanto Pericles tem-

(1) *Lib. 35. Hiſt. Nat. cap. 10.*
(2) *De Athen. præſt.*

tempore Propylæa atque Hecatompedum ſtruxerat. His igitur alijſque de cauſis perſuaderi mihi tandem ſum paſſus, ne limam hìc diutiùs contererem, præſertim cum aliqua (vtinam non Suffeniana) ſpes affulgeret, quæ vlteriorem operis polituram exigerent, menda, non vſque eò vel crebra ſupereſſe, vel turpia, vt nullam à publicâ humanitate exorare poſſent veniam Scriptori, qui, facilibus alijs, & benignioris ad ingenium excitandum materiæ argumentis poſthabitis, in minùs aperto, nec perinde tractabili ſuam operam atque induſtriam vexauerit, Lectorum vt animis non otioſæ voluptatis fructum produceret.

Et hæc ſanè de ijs dicta ſint erratis ac mendis, quæ vel ſuam inficiari prauitatem non audent; vel difficilem certè, & parùm idoneam defenſionem recipiunt. Nam cæteroqui, cum virtus quæcunque, ceu viuendi, ſic etiam ſcribendi, vitiorum in medio verſetur: cumque id Medium, vtpote per incertam latitudinem pertinens, non modò tenere difficile ſit; [1] verùm etiam cognoſcere; permulta paſſim in Authorum

(1) *Vide Ariſt. Ethic. lib. 2. cap. 9.*

rum monumentis ſe offerunt, quæ, quamvis priuato huius, vel alterius Lectoris circa Medium iudicio aduerſentur; nullâ tamen receptâ communique artis lege ad vitij fines pertinere euincantur: quæque adeo ſtatim crimini dare minùs conſiderati, ſibique plùs nimiò tribuentis, ne dicam temerarij, & inhumani iudicis ſit: quaſi verò rationis auſpicium atque tramitem deſerat, ab illius qui ſententiâ receſſerit: nec, quod vni improbatur, poſſit alijs compluribus, & fortaſſe etiam iuſtiùs, non modò extra culpam, ſed vel in laude ponendum videri. Sic (vt aliquo rem exemplo declarem) eadem amplificatio alteri, quia latè fuſa, odioſam inanemque Battologiam ſapiet; alteri vel eâ ipsâ de cauſâ cum ad explicandam rem luculentior, tum ad animis imprimendam validior cenſebitur. Idem verſus hunc offendet, ceù pedeſter atque humilis; illum, ceu ſimplex, & facilis, naturali candore oblectabit: quodque alij pro ambitioſo luxu veriùs, quàm ornatu faſtidiunt, non deerunt qui ſplendidum, atq; elegans, & magnificum prædicent. Vnde illud Venuſini Poetæ, [1]

Quid

(1) *Lib. 2. Epiſt. 2.*

Quid dem? Quid non dem? Renuis tu, quod iubet alter:
Quod petis, id ſanè eſt inuiſum acidumque duobus.

Hæc igitur cum ita ſe habeant; id mihi tum in communem omnium rem apprimè opportunum; tum æquitati maximè conſentaneum videtur; vt nihil, noſtro quamvis à guſtu alienum, huius, vel illius vitij palàm damnemus; niſi iuſta certique ponderis ad manum ſit ratio, qui triſtem affirmare ſententiam poſſimus: ſed ita ſui quiſque inductionem animi, & quam ſibi normam ſcribendi propoſuit, ſequatur; vt ne vnicam & communem eſſe omnium legem literariâ in Republicâ velit: duo ſibi in huiuſmodi incertis tanquam certa perſuadens: alterum, nequaquam factu impoſſibile eſſe, vt in germanâ ipſe Optimi notione informandâ à Vero aberrauerit: alterum, vt vt rectam artis inſtiterit viam; non tamen, quidquid à recto diuerſum ſit tramite, prauum etiam continuò cenſeri oportere: cum (quemadmodum conſultiſſimus dicendi magiſter Tullius [1] obſeruatum reliquit) multa in quouis naturæ genere diſſi-

(1) *Lib. 3. de Orat. cap. 3.*

diſſimilia inter ſe ſint, quæ conſimili tamen laude dignentur, multique, diuerſam à præſtantiſſimis artificibus eâdem in arte rationem ſequuti, parem ijs commendationem & famam hac ipsâ diuerſitate retulerint. Quæ iudicandi moderatio quamvis ab omnibus, ergaque omnes tenenda communiter ſit; proprio & peculiari tamen iure tum ab illis exigitur, quos in literario etiamnum tyrocinio ſtudiorum immaturitas cohibet; tum erga illos, qui in artibus non exercendis duntaxat, verùm etiam tradendis legitima emeruerunt ſtipendia: quique nec ingenio nimiùm confiſi, nec de extemporalis facundiæ gloriâ ſoliciti, ſed vnam potiùs in operis abſolutionem intenti, diutinâ incude, ac pluries repetito limæ morſu ſua ſcripta conſueuerunt torquere: adeo ut non temere, quidquid primum ſe obijceret, arripuiſſe, ſed maturo, certoque conſilij circumſpectu hanc, vel illam dicendi formam delegiſſe iure poſſint videri.

Hæc habui, Lector beneuole, quæ in primo mei operis quaſi veſtibulo de illius tum materiâ, tum formâ tecum communicanda arbitrarer: operis, inquam,

quam, mei: licet diſſimulare ingenuus me pudor non ſinat, aliquid ex illius ſupellectile Authoribus alijs, vt Senecæ, Virginio Cæſarino, Euſebio Nierembergio, ac Sfortiæ Pallauicino deberi: à quibus cum nonnulla in rem meam ſe ſe vltro offerentia mutuatus ſim; ne iniquus fur potiùs, quàm debitor gratus exiſtimer; ſignatis publicè tabulis hoc illis iam nomen profiteor. Cæterum, ſi in ijs, quæ affero, exemplis, præſertim vbi perſonis ſermo tribuitur, aut res per adiuncta illuſtratur, ab religioſâ & ſeuerâ narrationis hiſtoricæ fide nonnunquam deflexi; dabis hanc, opinor, non grauatè Scriptori carminum veniam, liquidiorem Veri notitiam, quandocunque res, aut animus tulerit, ex Authoribus petiturus, quorum ibidem nomina, & loca cum fide redduntur. Reliquum eſt, vt, quibus verbis Bilbilitanus Poeta ab inanibus Græcarum fabularum portentis ad ſua perlegenda epigrammata, communis vbi vitæ, humanorumque morum imago adumbretur, Romanos conatur traducere; ijſdem te ego ad Euthymiæ noſtræ [1] lectionem inuitem, cumque

illo,

(1) *Lib.* 10. *ep.* 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

EVTHYMIÆ

SIVE

DE TRANQVILLITATE ANIMI.

Liber Primus.

VNde quies animo: quid inertibus anxia curis
1 Corda leuet: quo ſe clypeo ſeptēplice cōtra
Externaſque vices, & bella domeſtica Virtus
Protegat, Auſonijs primus vulgare camœnis
Aggredior. Pulchræ vos, ò cupidiſſima pacis
Pectora, nimbiſoni quam per vada cærula ponti,
Aeriaſque alpes, per dura, per inuia longis
Vſque alacres votis, & anhelo inquiritis æſtu,
Irrita ſi toties conamina, prædaque dulcis
Hactenus eluſit vacuos, finire laborem
Si iuuat, optatoque ſemel conſidere portu;
Huc agite, & noſtris aduertite cantibus aures.
Namque ego quæſitæ facili vos tramite ducam
EVTHYMIÆ ad ſedes, illoque in vertice ſiſtam,
Quò neque turbinibus curſus, neque rauca ſonantes
Nimborum furiæ, & fremebunda tonitrua ſurgunt:
Sed tenet æterni facies placidiſſima Veris,
Et nunquam immitis, nunquam ſibi degener annus.
Delectos proceres, per puppibus inuia quondam
Æquora, Phryxei rapiendum ad velleris aurum,
Vexerit audaci Tiphys temerarius alno.
Tiphys ego melior, vatum intentata priorum
Carminibus, Sophiæ ingrediar Verique Profunda,
Grande viæ pretium laturus, amabilis otî

Munera, Phaſiaco longè potiora metallo,
Nullaque non ſpolia, & regum ſuperantia gazas.
2. Tu mihi, diuino profuſum è lumine lumen,
Solis inoccidui radius, ſignataque noſtris
Pectoribus magni penitùs Genitoris imago,
Audenti ſis fida tuum cynoſura per æquor,
Sis Helice, RATIO: haud qualis, contagia primi
Poſt ſceleris, diro maciem inſpirante veneno,
Tabueras, lapſi vix agnoſcenda Decoris:
Sed qualem, iubare æterno immutabilis Æqui
Incoctam potiùs, cæleſtique indole plenam
Mentibus æthereus Pater indidit, & modò qualem
Ætherei ſoboles cælo delapſa Parentis
Antiquam in ſpeciem, ingenuumq; refinxit honorem.
3. Tuque adeo, vnde omnis ratio, menſuraq; Recti,
Vnde ſuus cauſis vigor, & ſua ſemina rebus,
Formæque, & numeri, & naturæ mutuus ordo,
(Nil ſine te magnum mens concipit) en age, primos
Edita Luciferi ante ortus, & mobile tempus,
Huc ades, immenſi vox Numinis, ipſaque verum,
Nec tanto genitore minus, SAPIENTIA, Numen.
Tu certos aperi calles, nutantia vatis
Dirige tu trepidi veſtigia, quàque ſacer fons,
EVTHYMIÆ arcanus fons rumpitur, irriguique
Nectaris vndanti paſcit dulcedine ripas,
Siſte auidum. Liceat ieiunam mergere pleno
Amne ſitim, & vitæ præcepta haurire beatæ.
4. Tum tibi, Pierij monumentum inſigne laboris,
Rite memor, ſolido æternam de marmore molem
Conſtituam, feſtoſque dies, & dona ſacrabo
Annua, Mæonius flauenti gurgite Tybris
Septem Orbis dominas quà præterlabitur arces.
Ipſa tholi mediâ ſubter teſtudine, miræ
Artis opus, Libyco perfecta nitens elephanto,
Templum auguſtum, ingens, latè regina, tenebis.
Sub pedibus geminas peſtes, immania monſtra,
Stultitiam hinc domitam vinclis, inimicaque fruſtra
Fræna

Fræna recuſantem, mordentemque ore cruento
Cernere erit; valido aſt illinc certamine victam
Fortunam, fractoque rotæ reuolubilis orbe
Euerſam, & dominæ ſua ſubdere colla coactam.
Centum aræ circùm: totidem laquearibus aureîs
Pendebunt, velut aſtra ſuo famulantia Soli,
Æternùm vigiles lychni. Quid thuris aceruos,
Quid Cilicum meſſes referam, totamque crepantem
Igne ſuper ſacro Arabiam, & pretioſa vomentem
Nubila? Votiuis iam nunc altaria donis
Inſtaurare iuuat: pacali euinctus oliuæ
Tempora iam ſerto, vittâque albente decorus,
Solennes videor Superis inducere pompas,
Lectarumque greges pecudum mactare ſacerdos.
Non tamen vt Calabris ideo de ſaltibus agnas
Cura ſit, aut niueos Clitumno accerſere tauros.
Quæ te plùs deceat, quæ gratior hoſtia Diuis,
Sacrificam tingent vitiorum armenta ſecurim,
Pectoris arcanæ Eumenides, maleſana Libido,
Inſatiatus amor lucri, furialibus Iræ
Præcipites ſtimulis, vano turgeſcere flatu
Degener Ambitio, Superiſque irata ſecundis
Inuidia, & vigiles Curæ, attonitique Timores.
Tum Luxùs phaleras, fractoſque Cupidinis arcus,
Votorumque leues alas, criſtaſque tumentes
Aerij Faſtùs, &, quas ſuperaddere fictas
Rebus amat ſpecies popularis Opinio, quæque
Cætera ſunt vitiorum, & vanæ inſignia mentis,
Marmoreis ſuſpenſa altè, cumulataque figens
Poſtibus, æternum inſcribam tibi, Diua, trophæum.
Interea facilis tua mecum Arcana reclude
In populos, dubijſque volens allabere Cœptis.
5. Continuò quiſquis felicem ſtrenuus optat
Lætitiæ faber ipſe ſuæ, ſibi fingere vitam,
Nil mihi mirari ſapiens, nil credere magnum
Inſtituat mentem, puncto quod mobilis horæ
Aduenit ignaris, rapitur nolentibus: ipſe

Quod ſibi non dederit: de quo non poſſit iniquæ
Liber, & intrepidus Fortunæ dicere, Noſtrum eſt.
6. Et verò hęc niſi certa animum ſententia firmet:
Si quis, opinatu vulgi, rerumque decorâ
Illuſus ſpecie, titulos, diademata, faſces,
Et Capitolino fixas in vertice palmas
Grande aliquid celſumque vocet: ſi ſplendida gemmis
Pocula, regificos currus, latèque ſuperbas
Vndantûm pompas comitum, ſe ſeque prementûm
Attonito, diuina velut miracula, figat,
Immemor ipſe Sui, vultu: ſpectabile formæ
Si decus, eximias vires, prædiuitis amplam
Eloquij venam, & fœcundum Pallade pectus
Cælo æquet, ſtupeatque, & anhelis plauſibus inflet;
Conclamata quies: ne lætos iam ſibi ſoles,
Otia ne ſperet manſura. Procacibus Euris,
Inſtabili pelago ſe credidit. Heu! Quibus ille
Fortunæ imperijs, quanto iactabitur æſtu,
Mentis inops, humilis, trepidus, variabilis auræ
Ludibrium, totus nimborum, hyemisque, fretique.
Nam neque, iudicij prauus, quæ ſumma Bonorum
Autumat, inſtanti poterit non quærere niſu;
Nec faciles adeo Superos, ſortemque paratam
Inueniet; nihil vt vacui ſub corde relictum
Mens doleat. Multos ingrato lumine paſſim
Seu fortunarum aſpiciet ſibi diuite cenſu;
Nomine ſeu claro; ſeu corporis, ingenijque
Dotibus eximijs præcellere. Multa neceſſe eſt
Latiùs optanti deſint Bona; multa repentè
(Ceu varius ſortis tenor, & mutabile ſemper
Ingenium) migrent aliò, dominumque relinquant.
Hinc irę, lacrymæque, hinc pectora ſaucia duris
Inuidiæ ſtimulis: timidæ ſpes, gaudia mæſta,
Turbida, ſollicita, infidos trepidantia caſus,
Nunquam & plena ſatis, nunquam non anxia vota.
7. Progenies magni, maior genitore, Philippi,
Teſtis Alexander, fortunatiſſimus vnus

Qui fuit, & quo non alium Mauortia virtus
Celſiùs imperio; ac præſtantibus extulit Auſis
Ille tamen Mundum fortunâ, hanc nomine menſus,
Occidui terror, Solis dominator Eoi,
(Credetis? Famæ iuranti credite ſæcla.)
Terrarum exiguo queritur ſe limite claudi, (a)
Multa gemens, ſortemq; hominũ, inuidiamq; Deorum
Increpitans, Mundo imperium quòd terminet vno.
78. Tene ego, magnorum regnator maxime regum,
Triſtia ſollicito laxantem pectora queſtu
Audio? Mortales at ſi Dea cæca beatos
Fingeret, externi ſi gaudia muneris eſſent;
Quẽ minùs hi gemitus, minùs hæc lamenta decebant?
Quid tibi cum lacrymis? Rerumne anguſta videtur
Summa, tot immani terras ditione tenere,
Tot populis dare iura? Oculos dimitte per omnem
Auroram: totum hoc Orbis tua fræna momordit,
Te dominum veneratur, & inſtar Numinis horret,
Per tua centeni longis erroribus arua
Laſſantur famoſi amnes, circumfluus auro
Pactolus, Tigrisque rapax, geminâque ſuperbus
Hinc Aſiam, Europam hinc Tanais contingere ripâ,
Euphratesque, Indusque pater. Vix flumina primis
Hoſpitibus noſcenda dedit; te noſcere Nilus
Incipit, & magno plenus, quàcunque vagatur,
Nomine, cæruleis ſeptena per oſtia nymphis
Orbis Alexandrum victorem nunciat, & iam
Æquora iuncturum domitis Neptunia terris.
Sortis auaritiam damnas? O pectoris ipſe
Veriùs ingrati damnandus crimine! Nam quid
Illa nocens, nimij niſi ſors peragenda fauoris
Sit rea? Te Pellæ (magnarum exordia rerum
Fac animo redeant) Pellæ te è finibus arctis
Miſit in imperium, quo non ingentius vllum,
Perpetuos relegens Conuexa per ardua curſus,
Viderit Heſperio, vel cardine Phœbus Eoo.

(a) *Iuuenal. ſat.*10. *Valer. Max. lib.*8. *cap.*15.

Diuitis intactos Aſiæ in tua præmia cenſus
Sepoſuit: nullâ non ſurgere iuſſit arenâ,
Quæ bellatoris frontem victricibus vmbris
Tergerent, palmas: tua ſigna anteîre, malignos
Perrumpentem obices, pandentemque oſtia fatis,
Pœnituit nunquam: tibi dum conſtantiùs hæret;
Viſa ſui eſt oblita, & ſors prope deſijt eſſe.
Mitte queri. Capiunt vnum laxiſſima centum
Regna virum. Si non naturam ſceptra per omnem
Porrigis; at plus, quàm naturæ ſimplicis vſus
Poſcat, habes, plus, quàm valeat vel perdere luxus.
Heu male conſultum Mortalibus, aurea pacis
Ducere ſi nulli permittitur otia, vaſto
Vnius includat qui non diadematis orbe
Quidquid ſtelliferis complectitur orbibus æther.
Immenſum per Inane ſatos (quid Græcia monſtri
Non parit?) vſque nouos audis ſupereſſe tuarum
Indociles legum Mundos. Fac, detur & illos
Æmathijs domitos frænis adiungere; plenus,
Anne ideo, mentisque ſatur ſum denique, dices?
Nil minùs. Haud omnis tantarum opulentia rerum,
Haud tota hæc, ſpatijs immanè vagantibus, vltra
Noti Orbis cumulum toties geminata, recentum
Mundorum ſeries ſat erit. Poſt omnia victa
Terrarum, pelagique, nouus pandetur auaris
Limes inexhauſtus votis: plura vſque videbis,
Quæ, lacrymans, hominum ſorti impermiſſa, requiras.
Suſpicies cælum, &, gemitu teſtante dolorem,
Heu miſerum! dices: imo cui limite Mundi
Regalis finitus honos, menſuraque tellus
Imperij. Nam cur ſtellantibus alter in oris
Dignior auguſto frontem diademate cingi,
Et nutu verſare polos? Cur neſcia iuris
Aſtra mei? Cur non Phœbus, Germanaque Phœbi
A me ſurgendi auſpicium, legesque meandi
Accipiunt? Saltem caput hoc, maturiùs vni
Orta, dies, nondum per ſumma cacumina viſis,
Affla-

Afflaret radijs : ſuperi vel luminis hauſtus
Intacto de fonte, &, quàm pro parte virili,
Largiùs affuſos traherem. Proh damna pudoris
Vltima! Alexandro neque lucet pleniùs æther,
Quàm miſeræ plebi. Nil egimus hactenus armis :
Punctum Orbis teneo : quæ pars pulcherrima rerum,
Summaque, pellæas etiamnum ſpernit habenas,
Læta ſuo ſeruire Ioui. Sic improbe fata
Argueres : tali Briareûs immanior auſu
Tentares Superos. Quid me, ceu vana canentem
Somnia, turbato perſtringis lumine? Certos
Sacrorum monitus tripodum, atque oracula Diuûm
Vaticinor. Sortis quam præmia tanta, ſubacti
Tot nequeunt Orbis ſpolia exaturare, cupido,
Morbus, non ſitis eſt. Anguſtis finijt author
Limitibus naturam : auido ſint pabula ventri,
Diuitiæ faciles : ſint, quæ defendere nudum,
Tecta, Iouem, rigidam poſſint quæ, vellera, brumam;
Hoc quibus exiguum, nil ſufficit : ipſa propagat
Eſca famem : poſitosque ſemel quæ tranſijt, vllos
Neſcit cæca ſibi fines poſuiſſe libido.
Vltima votorum (haud reor inficiabere) primum
Martem inuadenti fuerant, perrumpere metas
Imperij patrij, anguſtæque ſuburbia Pellæ
Ad Perſas, ad Bactra, adque Euri extendere nidos,
Et Cyri ſolio ſolium mutare Philippi.
Audax, quamquam hominis, furor. At nunc omnia rerũ
Clauſtra remoliri, totque vno niteris Orbes
Compoſuiſſe iugo. Demens! Molimine tanto,
Vltra anni, Soliſque vias, cælique rotatus,
EVTHYMIAM dum perſequeris, qua nulla Dearum
Proximior, nulla æqua magis, faciliſque volenti eſt.
Crede mihi, parto imperio licet eſſe beatum :
Crede, licet nullo. Pacem tibi ſubditus Orbis
Non dabit : ipſe dabis rationi ſubditus. Aufer
Spes nimias. Vacuum, teneat licet omnia, prodit
Se cupiens. Pleno felix vt corde quieſcas;

Nil opus eſt regna augere, at compeſcere vota.
9. Hæc, quibus inſani Iuuenis temerarius ardor
Corripitur, ſibi dicta putent, quoſcunque doloſis
Ambitio rapit illecebris: qui ſplendida ſortis
Munera, regales cenſus, trabeasque, ſecuresque
Vndique ſolliciti properant, venantur, anhelant.
10. Nec malè quis ſapiẽs reſpõdeat, haud ſibi votis
Tam nimijs auidum ferueſcere pectus; vt Orbis
Vnius imperio nequeat ſine fine furentem,
Immenſosque ſinus reſerantem explere Charybdin.
Sat fore, ſi tenues meliori ſorte relaxet
Copiolas: ſi quo rerum fulgore profundam
Immemoris famæ noctem, Lethæaque rumpat
Nubila: ſi Patriæ non vltimus, inque nepotum
Sedibus, effigies monſtrari digna, ſuperſit.
11. Verba dat, & vanâ ſe credulitate volentem
Decipit infelix. Cupidum nam longiùs, eſto,
Haud animum ferat in præſens: at, prima potitus
Cum fuerit; noua continuò maioraque poſcet,
Perpetuùm ſitiens, nulloque explebilis hauſtu.
Qualis ſeu turtur, ſeu pullus hirundinis, æquus
Cui nondum vigor, & medij experientia cæli,
Totaque vix teneræ prætexunt brachia plumæ:
Ille quidem vacuum patrij de margine nidi
Æthera proſpiciens, ignota pericula viſu
Metitur tremulo, nec liberioribus audax
Credere ſe ſubitò ſpatijs, pendentia tecta,
Natalemque breui caueam circumplicat orbe.
Mox, vbi reſpondit primo ſors æqua labori,
Et vires placuere; vagos per Nubila curſus
Explicat, immenſoque volans indulget olympo.
Vnde furor tantus votis felicibus, vnde
Hæc noua, ſucceſſu triſtis, quæſitaque velox
Spernere, ſe maior ſemper dementia, cauſas
Altiùs aggrediens (animos adhibete) docebo.
12. Et primò id memori cõdendũ pectore, quidquid
Fulgeat exteriùs, patrimonia lauta, ſuperbos
Diui-

Diuitis imperij faſces, plauſusque Quiritûm,
Legitimos præter, naturæ publicus ordo
Quos homini ſtatuit, votorum excurrere fines;
Nilque adeo proprios ad egeni corporis vſus,
Integra nil ſanæ conferre ad gaudia mentis.
Numquid enim ſaturis Gætulo murice ſomnus
Blandior irrepit thalamis? Aut, diuite gemmâ,
Cælatoque bibat ni Mentore; flammea neſcit
Expleri ſitis? Imperij num quisquis habenas
Flectit adorato populis de culmine, liber
Continuò dominusque Sui? Num, ſi vaga curru
Aerio geminos tulerit te fama per axes;
Ocyùs hinc ægro fugient de corpore febres,
Mitiùs hinc triſtes fodient præcordia curæ?
Cætera quid memorem, famulas ad iuſſa cohortes,
Miluorum rapidos delaſſatura volatus
Prædia, marmoreos poſtes, fulgentiaque auro
Tecta, tot artificum curas, operumque labores?
Omnia (ne dubites) ſpecioſæ hæc fercula pompæ,
Vana quibus pretium circumdat opinio, fictis
Irritare queunt animos, haud paſcere laruis.
Nec Sapientùm aliquis, ſeu quos Zenonia iactant
Limina; ſeu dulces ſenior Gargettius hortos
Queis aperit; varios vel qui te, Euphorbe, renatum
Poſt obitus, taciti, & iurati in verba ſequuntur,
Naturæ finem cum rimaretur; in iſtis
Certa ſibi vitæ ſtatuit momenta beatæ.

13. Hoc adeo Veri poſito fundamine, quisquis
Talia, ſecuræ ceu pignus amabile pacis,
Perſequitur, ſummo votorum à fine ſuorum,
Fruſtra alacer, recti quia tramitis auius, errat.
Ergo vbi, poſt mille ambages, & longa viarum
Tædia, quæſitam licuit comprendere ſortem;
Cum, quæ magna procul ſpectanti credulus error
Finxerat, optati nil demum claudere fructûs,
Amotâ propior caligine detegat vſus;
Haud potis eſt, illis vt adhuc ieiuna cupido

Se teneat. Noua prôinde pari conamine lucra
Inſequitur cumulare: ea ſi ſors addita primis
Sufficiant nimios reſtinguere pectoris æſtus.
Nec videt infelix, ſimili conflata metallo
Omnia ſollicitis nequicquam mentibus addi:
Ac velut vmbriferæ chaos illætabile noctis
Nullà, quibus rutilãtem animam non Mulciber afflet,
Quantovis geminata auctu, funalia vincunt;
Sic neque fortunam, maioribus incrementis
Vſque licet geminet ſua munera, poſſe tenebras
Mæſtitiæ, offuſamque animis detergere noctem:
Cum nihilò illius ſint quævis dona fugandis
Opportuna magis curis, quàm triſtibus vmbris.
Arcendis fulgoris inops, & mortua lampas.
Acrior hinc ſitis, &, quæ vota nouiſſima quondam
Credidimus, votis gradus vlterioribus eſſe
Incipiunt, verſantque alio vaga pectora motu.
Non ſecus ac, læthalis hydrops cui viſcera tendit,
Exigui primùm laticis ſperauerat hauſtu
Morbida bacchantes circùm vitalia flammas
Vincere: queîs nihilò ſe ſe cum mitiùs vri
Experiatur; anhelanti præferuidus æſtu.
Altera continuat, deîn tertia, pluraque rurſus
Pocula: nec totus ſat erit, qui fontibus vllis
Rumpitur, & terras latè circumfluit, humor:
Propterea, morbi quia cauſam non tenet Æger.
14. Eſto tamen, ſortitus opes, titulosque, modeſta
Quæ ſibi mens pepigit, non ſis abiturus auaris
Vlteriùs votis: ſaltem quæſita tenere,
Congeſtoque voles hilaris gaudere paratu.
At non id pariter certum, neque fœdere tali
Lubrica ſors homini propriam ſe commodat. Ipſis
Vel pro votorum ſucceſſibus altera vota
Sunt facienda, nouis & priſtina munera Diuûm
Semper egent, ne deficiant vix orta, foueri
Muneribus. Num gallinæ tu filius albæ,
Solus vt in tantâ rerum vertigine nullas
Expe-

Experiare vices : communes lædere ſolum
Te caſus vereantur : edax nil deterat æuum,
Nil tempeſtatum furor, atque incendia peccent,
Nil dolus, aut error minuat ? Sic nota theatri,
In quod continuò geniti producimur, anceps
Alternisque ſibi vicibus contraria ſemper
Mobilitas ? Neſcis, quàm crebro turbine fati
Res hominum trepidæ, quantus mortalia ludus ?
Scilicet expertus nunquam. Sed diſcere dulce
Ex aliјs : neque Doctorum non plurima circùm
Agmina. Pompeium ſileo, cui terra triumphis
Defuerat, mox, ſemîuſtos quæ conderet artus,
Vix fuit. Extorrem Patriâ, celerique veneno
Deuictæ toties euadere iura coactum
Annibalem Romæ, poſt bello perdita regna,
Vix mortis dominum Mithridatem, ante hoſtis amari
Laurigeros axes captiuum Perſea, Pyrrhum
Fœmineæ titulum dextræ, miſerabile cæſi
Ludibrium Craſſi, ſeruilia vincla Jugurthæ,
Quæque Sophocleos meruerunt plura cothurnos,
Nil opus è priſcis euoluere nomina chartis.
Ipſe tuo (ſis mentem adhibe) quot talia paſſim
Fortunæ inuenias documenta volubilis æuo ?
Aureus ille Midas, cæci ditiſſima Pluti
Progenies, fuluæ quondam cui creſcere gazæ
Sub manibus, gemini dotataque cenſibus Orbis
Ipſa videbatur nupſiſſe Opulentia, triſti
Neſcio quo fato diuortia ſæua iubente,
Aſpicis, vt mutatus, egens, deſertus, inanis,
Floſculus aprico ceu ſolſtitialis in horto,
Aruerit, cætusque hominum, lucemque peroſus,
Triſtibus inuiſam latebris obuoluere quærat
Pauperiem, ſe ſeque ſimul : ne creditor in ius
Deprenſum rapiat : totâ quem ſedulus vrbe,
Ceruus vti procul auditum per luſtra leonem,
Tramitibus cæcis elabens, vitat & horret ?
Fortibus en Auſis alium, centumque trophæis

Inclyta Marcellos ſupra, ſupraque ferebat
Gloria Scipiadas. Quid tum? Variante fauorem
Ambiguum belli dominâ, ſuperatus, inultus,
Neue foret clades non vndique plena, ſuperbo
Additus in prædam victori, Marte ſub vno
Perdidit aggeſtas tot per diſcrimina palmas.
Quid vafer ille nepos Seiani, callidus aulæ
Vertumnus, regumque potens, quem ſternere nulli,
Æternis nixum radicibus, & Ioue dextro,
Poſſe videbantur venti, nunc qualis? Ab alto
Nonne iacet veteris deiectus culmine ſortis?
Nonne ſuis miserè implicitum merſumque ruinis
Ipſi etiam pede ſecuro haud calcare verentur,
Quos olim nutu vix dignabatur amico?
Caſibus vſque adeo ſubitis terrena rotantur
Omnia: cumque hominis fluxum, mortale, caducum
Sit genus; heu multò mortalia, fluxa, caduca
Sunt magis, infidæ ſorti quæ munera debet.
15. I nunc, & dubio ſemper, lapſumque minanti
Vertice ſecuros auſis defigere greſſus:
I miſer, eque Bonis, rapidi quæ fluminis inſtar
Vlteriùs iam iam fugitiua abſcedere ſentis,
Perpetuos fructus, manſuraque gaudia ducas.
Haud malè Spartanus, vulgi clamore ſecundo (a)
Diuitis Oenopij cum nomen ad æthera ferri
Acciperet: cui nimirum tot carbaſa ventos
Laſſarent: tot deueheret Neptunus onuſtas
Aſſyrijs, Cyprijs (& queis non?) mercibus alnos;
Subridens, Valeat fortuna rudentibus, inquit,
Pendula, quæque vagis nunquam non voluitur vndis.
16. Illud ad extremum ne reſpondere roganti
Pœniteat: fluxas quid opes conamine tanto
Accumulas? Cur centenis iuuat æquora tauris
Findere? Longinquis cur ſuſpendenda locare
Atria marmoribus, ſeruorum & paſcere turmas,
Quot neque, Romulea effringens ergaſtula, ſumptis
Duxe-

(a) *Plut. Apophț. Lacon. Cic. 5. Tuſcul.*

Duxerat in dominos gladiator Spartacus armis?
Nempe, reor, curis procul vt mordacibus, æui
Quod ſupereſt lætus iucunda per otia ducas.
Atquì propoſitus finis nil poſtulat harum,
Queis tua metiris, male prouidus, otia, rerum.
His ſine nam lætos Democritus egerat annos,
Fabriciusque potens minimo, Curijque ſenectus,
Samnitum vinci nec ferro paſſa, nec auro,
Quemque, inopis fundi pauciſſima farra metentem,
Pſophidium, vitæ felicis nomine, Lydo (a)
Antetulit regnatori conſultus Apollo.
Et meritò. Neque enim vel iuſtâ ſorte vocandus
Felix, qui minimè plenus; vel plenior alter,
Exiguis volitantem animum quàm ſtringere nouit
Qui ſpatijs, quàm cui modus eſt natura volendi.
Iugera Niliacis, eſto, certantia regnis,
Et Phrygios cenſus ſors inuidioſa negarit;
Quid refert minimum cupienti? Nullus Hydaſpes
Guttura te centum pandentem immania, nullus
Gurgite vel toto Tagus impleat: ille vocabit
Se ſaturum, breuibus modò par ſit copia votis.
17. Vna igitur ſi Mortali ſors maxima, velle,
Eſt, minimum; multis cur quiſquam rebus egere,
Protinus exiguo impleri quàm munere malit?
Quæue animos hic error, & importuna libido
Verſat, vt in medio facilem per deuia longè
Teſqua, per anfractus dubios, palantibus vſque
Lætitiam curis vanoque ardore requirant?
Heu prauas hominum mentes! An dulce bonumque
Nil erit, immenſis niſi quod venale laborum
Sumptibus? An facilis rutæ ſi copia, vel ſi
Fœniculum, aut patrijs aliud quòd naſcitur aruis
Ocyùs infeſto gramen te abſoluere morbo
Poſſit; ab extremo Oceano, & Gangetide terrâ
Sollicites totos poſcentia pharmaca cenſus?
18. Felix, ſpes trepidas, nimijque cupidinis æſtus
Pur-

(a) *Valer. Max. lib. 7. cap. 1.*

Purgato ſemel excluſit qui pectore: nullum
Cui numen Fortuna: ſed, imo celſior Orbe,
Vnam te, cæleſte Bonum, pulcherrima Virtus,
Admirans colit, optanti tu ſufficis vna.
Ventoſi non ille vagus prenſator honoris,
Primo mane forum viſet, vulgique tabellas
Indignis redimet, ſeruiliter ambitioſus,
Obſequijs. Populi ſcit pûcto haud creſcere quemquã:
Scit populum, minimè qui felix ipſe, nec illos
Aurâ poſſe leui felicibus addere, ſi quos
Humanæ ſuper extulerit faſtigia ſortis.
Mene, ait, hæc teneant, quæ gratia mobilis vrnæ
Sæpiùs indignis donat, melioribus aufert?
Quæ neque, magnanimis delata Catonibus, augent
Virtutis pretium; neque, turpibus addita Clodî
Flagitijs, aut in ſtrumas proiecta Vatinî,
Immeritos decorant: quin illos noxia ſæpe
Inficiunt; horum ſordes & fœda latere
Probra vetant. Egone, hac fallacis imagine pompæ
Attonitus, fatuo caudam iactare popello,
Blandiri, prenſare manus, contingere ſupplex
Genûa velim? Vulgi, ſapiens, (vt cætera deſint)
Arbitrio faſces capiam? Vulgoque licebit
Sceptra dare, aut vllum noſtris decus addere rebus?
Quin neget imperium, meritis, ceu ſemper, iniquus:
Non tamen imperij ditione carebimus. Ipſe
Rex mihi ſum. Quòcunque leuis ſuffragia Campus
Verterit; in ſeſe Sapiens latiſſima regna
Obtinet. Hîc iuſtis animum moderatur habenis,
Officij imponit leges, malefacta Nocentum
Vindicat, effrænes ſenſus, turbamque rebellem
Iura pati cogit: tum, ſi quà finibus hoſtis
Ingruat; haud virtutis egens ſigna obijcit, & vim
Viribus, arma armis, caſus ratione retundit.
At rutilum dextræ pondus, Melibœaque longè
Purpura: nullus honor ſolij: ſtipantia nuſquam
Pila: nec auguſti frontem diadematis aurum
Erigit.

Erigit. O vanæ mentes! Si ſcenica vobis
Hæc modò regnantem faciunt inſignia: veſtros
Hinc aliò cultus, & munera vertite. Nolo
Eſſe, quod Æſopus, quod Roſcius. Ergo relinquit
Talia, queis ſatis externo ſplendeſcere cultu,
Ipſe alio fretus regno, interiore, ſuoque.
19. Par neglectus opũ. Monſtres auguſta ſuperbis
Atria porticibus, laquearia cedrina, multo
Conſertas elephante fores, Babylona, Tyrumque
Ditibus appenſas thalamis, vaſa aurea, denſis
Concretos radijs, & pictæ fulgure lucis
Eoos lapides; Proh totius indigus error
Anticyræ! docto clamabit non ſine riſu.
Hæccine ſunt, quibus ambitio, luxusque Potentum
Vſque adeo ſeſe iactat, circumſpicit, effert,
Vixque Deûm titulis non inſerit? Hæccine, toto
Quæ vanum redimenda putat vel ſanguine vulgus?
Quorum ardor maleſanus & irrequieta cupido
Tot ſcelerum furijs, tot verſat motibus Orbem?
At quid in his dignum Sapientis amore? Quid vsûs,
Vel pretij maioris habent; quàm littora circùm
Quæſitæ pueris conchæ, teretesve lapilli?
Emeritum iam te ſenio, rugisque verendum
Aſtragalos pudeat, cochleasque, recentibus & quæ
Conueniunt annis, tractare crepundia: gemmas
Non virides pudet, & flauentis pondera limi
Vndique ſollicitum conquirere? Quæ noua Colchis
Annoſum caput ad cunabula prima reflexit,
Degenerem cogens iterum lallare ſenectam?
Sat prætextatum gerulæ nutricis in vlnis
Deſipuiſſe fuit. Pueriles ponere ſenſus
Debueras vel ſub primæ lanuginis æuum,
Cumque togâ pariter mentem ſumpſiſſe virilem.
Nullane canities morum? ſemperne relictæ
A tergo ætatis te ludicra facta ſequentur? (pido
Quanquam vtinã hęc tantùm ſequerentur. Inepta cu-
Non vltra Eupolidis ſoccum delinqueret, vncis
Nari-

Naribus & poſſet ſat caſtigata videri.
Triſtiùs at multò pueris maturior ætas
Deſipit. Expoſitæ quovis in littore conchæ,
Talorumque, nucumque haud magna expleuerit illos
Congeries: nihilò dum vos meliora, vetantùm
Cælicolùmque, hominũque, elementorumq;per iras,
Inſatiabilibus curis, ſemperque recenti
Cogere anhelatis ſtudio. Neque proxima tantùm
Excuſſiſſe ſat eſt: alio ſed feruida Sole
Littora, ſupremas naturæ irrumpitis oras:
Scilicet effoſſo rapturi Dite ſub auras
Neſcio quæ, noſtro pretioſa furore, ſuiſque
Rectiùs ò quantò latebris linquenda, metalla.
Proh curuæ nimiùm peioribus, imaque ſemper
Scrutari faciles animæ! Tantine rubentis
Maſſa fuit terræ, vt cæli ſpirabile lumen,
Et dulces ſuperos, vitamque diemque peroſi,
Manibus eſſetis manes, totâque profundum
Includente chaos ſolidâ compage ſepulti
Terrenæ molis, ſupra caput Æacon vmbris
Reddentem iura, Eumenidasque horrenda ſonantes
Verbera, Lethææque ſeuerum inamabile murmur
Audiretis aquæ, ſcandendaque Tartara vobis?
Quis furor heu, cæci, diro pallore nocentes
Cocyti ſpumas proiectâ luce paciſci?
Semina quìd ſcelerum iuuat, infœcunda, nec vlli
Noxia, dum tellure latent, in publica damna
Eruere, & populos latè vulgare per omnes?
Plùs ſatis ah proprijs vrgemur cladibus: ipſa
Plùs ſatis ex ſeſe profert Europa Malorum.
Sunt variæ peſtes, ſunt horrida ſæcla Ferarum,
Lethaliſque aconiti, & ſemina dira cicutæ.
Cur noua deuehitis peregrino ex Orbe venena?
Cur, quibus, ob triſtem violati Numinis iram,
Damnauit donis natura nocentibus Indos,
Fertis in Heſperias, contagia barbara, terras?
Vocibus his fatuæ Sapiens deliria turbæ

Corripit : hoc animi ſubnixus robore, ſortis
Diuitias inopes, neglectaque munera calcat.
Illius ante oculos rubri conchylia ſordent
Æquoris : Oebalij pretioſus muricis ardor
Luce caret : nullas tellus parit, vndaque, cælo
Debita ſuſtineat queis flectere lumina, gemmas.
10. Sed neque, ſi ſęclis proauûm hiſtorijſq; tumētes
Ire Alios, veteris tanquam compendia famæ,
Viderit : Hos Graiæ decora oſtentare Minervæ;
Illos ſanguinei ſtudio clareſcere Martis;
Pars populi fiet mirantis talia, nec ſe
Inferiore loco ſtatuet, dignoſcere prudens
Quid ſolidum, quid inane, & laruam demere rebus.
Sit prior Hic opibus, dicet : ſit honoribus Alter
Clarior, & titulis : adde artes, ingenijque
Munera, Grammaticus melior, fandique magiſter,
Aſtrologus, legum interpres, Phœbique ſacerdos :
At non hinc pariter quiſquam felicior. Alti
Nam neque regnorum faſces, neque ſtemmatis ordo
Per centum traductus auos : non ſiue tuorum,
Mars, decorum monumenta; tui ſeu, Pallas, honores
Pectora compoſitis placant mortalia curis.
Vnius id virtutis opus : quæ diuite gazâ,
Plaudentisque fori ſtrepitu, rerumque nitore
Nil eget, ipſa ſibi decus, & pulcherrima merces.
Hac ego, cuncta licet reliquorum turba Bonorum,
Tota licet ſortis malefidæ opulentia deſit;
Sat fruar : hac memet nullius dotis inanem,
Hæredem Craſſi, Pelopis, Teucrique nepotem,
Hac pulchrum, fortem, ſapientem, rhetora, necnon
Induperatorem, regemque, heroaque ducam.
Qua mihi nempe vnus doctrinæ, diuitiarum,
Regnique, & famæ, & Mortales quidquid vbique
Conſectantur opum fructus, pax aurea, conſtat.
Scilicet externi quidquid pictique refulget
Circûm hominem, (mendax oculos ne fallat imago)
Non id lætitia, at cortex vanumque putamen
Læti-

Digitized by Google

Lætitiæ eſt. Voti hæc omnis fructùsque medulla,
Nucleus hic ſortis ſi iam mihi contigit; vltra
Cur fragiles ſiliquas, cur, quæ veſcentibus obſtant,
Proijciendaque ſint, externa putamina quæram?
21. Talis erat (veteri Sophiæ producere talem
Si licuit) Cynicus verſatilis incola tecti: (a)
Cui nudo atque inopi non inuidioſa fuiſſe
Fertur Alexandri ſors: qui captiuus ab ipſa,
Mancipium proſtabat vbi venale, cataſtà,
Emptorum turbæ (quid in hunc, fortuna, valeres?)
Promiſit dominum: vel tum nil cedere paſſus
Regnatori Aſiæ. Nempe illius alta iacere
Sub pedibus ſibi ſceptra: haud illi obtingere poſſe
Virtutem, quâ ſupra homines ipſe altior iret.
22. Talem & Palladiæ quondam vidiſtis Athenæ
Sophroniſciaden: præter qui compita vectus (b)
Mercibus omnigenis, varioque nitentia luxu,
Proh Superi, quàm me paucis voluiſtis egere?
Clamabat. Quàm multa mihi das ſpernere, virtus?
O vocem egregiam, meritò per Solis vtrumque
Quam latus ingeminet viuaci murmure fama:
In quam omnes populi, venturorumque nepotum
Conſcia poſteritas, voluendaque ſæcula iurent!
Votorum hæc certè requies, contentaque paucis
Dulciùs affectum ſapientia me rapit, omnis
Lautarum quàm fulgor opum, quàm fulgor honorum,
Faſceſque, & tituli, & regum ſuprema poteſtas.
Hæc mihi mens adſit; vanæ ſua munera ſorti
Ocyùs, in quoſcunque velit ſpargenda, remittam.
23. Hunc igitur notâ platani viridantis in vmbrâ,
Propter aquam, Boreæ furtorum teſtis, amœnos (c)
Quà latices Iliſſus agit, memoranda putemus
Hæc vulgo (attonitas ceu quondam ſuetus ad aures
Cecropidûm) placidis oracula promere dictis.
24. Quæ mala vos, miſeri, vitæ de tramite recto
Mens

(a) *Laert. lib. 6. Cic. 5. Tuſc.* (b) *Laert. lib. 2. in vita Socrat.*
(c) *Apud Ilijs. fertur Boreas rapuiſſe Orithyiã Plat. in Phædro.*

Mens procul, indociles Veri, & rationis egenos
Ire iubet? Trepidas quianam per deuia curas
Spargitis, æternâ votorum indagine pacem
Rebus in externis auidi longèque remotis
Prendere: quam, cordis ciuem, ſe quilibet extra
Inſequitur, perdit? Certè neque prouidus auceps
Rara ſub æquoreo ſuſpendit retia fluctu,
Inſidias merulis; nec arundine fretus, & hamo
Squamigeras piſcator agit per Nubila prædas.
Ecquis ab vrticæ damnato ſemine partus,
Flora, tuos, aut è rigidis flaventia Bacchi
Speret dona rubis? Vos hæc male credula fallit
Simplicitas: veſter furor hic: tranquilla beatæ,
Fortuitos inter cenſus, dum gaudia vitæ
Quæritis. At citiùs multò reperire licebit
In ſyluis rhombos, inter vada cærula turdos:
Ante roſas vrtica, racemiferumque Lyæum
Ediderit paliurus; opum quàm larga ſuarum
Mortales fortuna beet, cordique ſerenum
Lætitiæ iubar, & placidæ ferat otia pacis.
25. Illum ego felicis meritò ſibi ſumere nomen,
Certaque iam nactum mentis rear otia, magnis
Qui diues, proprijsque Bonis: pleniſſimus inde,
Sufficienſque ſibi, nullique obnoxius. Horum
Si quidquam Dea cæca valet præſtare; clientum
In grege nos habeat: fulgentibus illius aris
Cernua ſuppliciter ſiſtamus vota: ſabæus
Ignis odoratâ caligine templa vaporet.
Quid pecudum ceſſant fibræ? Lectiſſima quæque
Orchomeni ripis, cupreſſiferoque Erymantho
Adueniat pronâ ceruix ferienda ſecuri.
Plurimus hìc Ladon, pecoroſaque mugiat Ide:
Plurimus Epiri nutritus gramine cultros
Inficiat, Nemeæ referens aut paſcua ſanguis.
Ipſe equidem tanto pro munere, turrigerarum
Vel Libyæ pecudum immanes ſacrare hecatombas
Nil dubitem. Vani ſumptus. Iactamus arenis

Sem i-

Semina, fallaces meſſuri denique ventos,
Ieiunamque famem. Fruſtra tot vellera, fruſtra
Corticis Eoi lacrymæ Panchæaque thura.
Fragrantes nebulas, irriſaque vota procaces
Diripiunt Zephyri, nec inanibus hoſtia Sacris
Vlla litat. Non hinc (experti credite) non hinc
Dulcia quæſitos retuliſſe ad gaudia cenſus,
Fasque hilarem plenis quemquam diſcedere votis.
26. Nã quid magnificũ, pulchrũq; & nobile (primã,
Haud mora, quæſiti libet hanc perpendere dotem
Muneris) ingenio quamuis largiſſima, ſeque
Totam adeo facilis vulgo effudiſſe, quid, inquam,
Vel talis præclarum homini ſors imputet? Aurum,
Prædia, longinquæ merces, operoſa ſupellex,
Armorum decus, imperij metuenda poteſtas,
Illius haud dubiè, optari quæ maxima poſſunt,
Præmia ſunt. Memoret, ſi quid ſua diuite, ſi quid
Maius adhuc gremio donandum æraria ſeruent.
Anne igitur pretii rara, & ſublimia quisquam,
Obtigerit ſanæ cui vel ſemuncia mentis,
Hæc putet? O animæ tenues, anguſtaque corda,
Quidquid id eſt Mundo componite. Quantula vaſti
Portio regnorum fines dicentur olympi?
Quis fulgor gemmis ad ſydera? Quæve metallis
Lux ad inocciduum Phœbeæ lampadis aurum?
Decolor vt Tyrij ſubitò liueſcet Aheni
Purpura, collato roſeæ Pallantidis oſtro?
Illa meos (pudet heu fortunę, inopumque Bonorum)
Ditior illa meos naturæ opulentia ſenſus,
Æthereique rapit ſublimis ſcena theatri.
Illa ego demiror potiùs, fuſa vndique circùm,
Omnibus expoſita, & ſolido pleniſſima fructu,
Quæ neque vis rapit vlla, dies neque longa reſoluit;
Splendida, diuina, æternùmque recentia dona:
Queis Arabum ſi diuitias, & Perſica ſceptra
Contuleris; turpem, vinci confeſſa, ruborem
Haud aliter ducent, ſaturis quàm diuite luxu

Regnan-

Regnantûm trabeis, & acu Babylonide pictis
Obuia Cinyphij ſubtemina bardocuculli,
Aut malè conſutis, & hiantibus vndique, diſcors
Ipſe ſibi, pannis gelidi centunculus Iri.
27. Illud at exigui diſcrimina fortè rependat
Hac allata tenus pretij, fortuna quòd vni,
Pauperior quamvis, domino ſe mancipat, Orbem
Vndique complexi ſecus ac promiſcua cæli
Munera, quæ paribus nemo non poſſidet alter
Auſpicijs. Nugæ, ridendaque ſomnia. Gazis
Ad plenum mihi dum liceat cæleſtibus vti;
Quid tandem perit hinc, alius ſi quilibet æquam
In partem veniat? Num, fons quia pluribus idem
Expoſitus, multosque eadem quia balnea mecum
Accipiunt; minùs idcirco placabit anhela
Vitreus ora latex, aut ſeciùs inde lauabor?
Vnde noua hæc pretia, immenſum quæ ſana per æuū
Neſciuit ratio? Cur tam mentimur auaram,
Limite quæ nullo in medium ſe effundere gaudet,
Naturam ſorte..ique Boni; nil prorſus vt amplum,
Aut noſtrum, niſi quod viduum conſorte, putemus?
Non ſatis hinc quoq; perſpicuū, quàm pauper, inanis,
Exiguùmque patens, vel maxima, ſit procerum ſors:
Cum nequeat cepiſſe duos: ſpernenda, ſuique
Vix pretij memor, in communia venerit alter
Si dominus iura, & faſces acceperit æquos?
Ergo totum hoc ſtultitia, & rationis egeſtas.
28. Adde, quòd iſta etiam, priuato ſubdita iuri,
Vniusque Bonum, exuperans quæ copia fertur,
Spectanti populo magnâ ſe ex parte fruendam
Commodat, & faſtus dominorum eludit auaros,
Publica res. Tyrio fac enim, tu, ſplendidus oſtro,
Pictus acu Phrygiâ, gemmisque, auroque ſuperbus,
Qualè recens lotus deſertis Lucifer vndis,
Ora per attoniti incedas pendentia vulgi:
Quidquid id eſt ſpecioſi habitùs, mirique decoris
Exteriùs modò cum niteat, ſolisque paretur

Lumi-

BIBLIOTECA ...

Luminibus; nihilò dominum iuuiſſe ferentem
Plùs poterit, medio ac ſpectantùm ex agmine quēvis,
Perſpicuæ ſemiſſe togæ, proauique vetuſtis
Horridulum tunicis. Fruſtra nam dixeris, vllam
Inde voluptatis propriam te ducere partem,
Argenti haud modico tales quòd pondere nactus
Sis phaleras, luxuque graui ſudantibus vnus
Suſtineas humeris. Titulo cum veriùs iſto
Nil proprium, præter moroſi pondera cultùs,
Præter & effuſi referas diſpendia censùs.
Perge. Venuſtatum ſuccis, Pulchrique medullâ
Artifices inter charitum concreueris vlnas,
Nobile prodigium formæ, dignusque, miniſtrum
Quem ſibi rex Superùm velit, immiſsâque Volucri
Sublimem rapiens menſis aſſiſtere Diuûm
Pocillatorem iubeat. Flos iſte leporum
Priuati num quid pariet tibi denique fructùs?
Omnibus exortem ex alijs quin ſugerit vnum:
Ad liquidas niſi, ceu iuuenis Cephiſius, vndas,
Imperfecta tui captes ſimulacra Decoris.
Sic aliæ, quarum pretium fructusque, vìderi,
Vnicus eſt, ſteriles pompæ: ſic addita ſiue
Littoribus curuis, gelidis ſeu montibus otî
Illa ſuburbani Prætoria, Synnade rubrâ,
Et niueâ pretioſa Paro, ſalientibus vndis,
Pumiceis ſpecubus, nemoralibus amphitheatris,
Piſcinis, xyſtis, omnique exculta ſuperbæ
Arte voluptatis, ſed quæ, ciuilibus ipſe
Aſtrictus laqueis, ſolidos, pluresque per annos
Vix ſemel acceſſu raptim fugiente ſalutas,
Vnius imperium detrectant, plùsque colonos,
Plùs hilarant populum, quàm temet, diceris eſſe
Qui pulchri dominus, ſoloque es nomine, fundi.
Vſque adeo haud tantùm ſpernenda, minoraq; magnis
Sunt Bona, priuato quæ ſors indulget honori;
Sed neque plùs illis vtenti propria, cenſu
Quæ ſolido, & raris pollentia dotibus, vſus

In medios hominum ſupremus condidit Author:
Totque domi farctis opibus, ſeſe vnde beatos
Fortunæ hi vocitant pulli (ſi vera fatendum:
Si rem legitimâ rationis pendere lance
Cura ſit) extruitur miſeris aliena voluptas.
29. Non tamen hic fallit, quæ noſtris obuia dictis
Luxus inops reſponſa paret: ſupereſſe fauentis
Plurima fortunæ nimirum commoda, ſolis
Quæ libentur heris: tum quòd ſublimior illos
Hinc populi comitatur honos; tũ ſplendida quòd res,
Externæ ſupra decus & ſpectacula pompæ,
Innumeris vitam quoque fructibus auget, amicum
Et quidquid genio, ſeu qualibet arte fouendis
Corporibus factum largè plenèque miniſtrat.
30. Vltima vt hæc, veris aliena, refellere primùm
Aggrediar; nego vos, Crœſi, iucundiùs, & vos,
Darij, tempeſtiuos ſeu ducere ſomnos
Veſte ſuper Coâ, tumidam ſeu mergere in aluum
Fercula regnorum pretijs extructa; ſecundo
Addita quàm pani meſſor lacrymoſa trucidet
Allia, ſtramineoque cubet reſupinus aceruo.
31. Nempe ſuum menſis genium non rara ſaporum
Scitamenta, vel externo procul Orbe petiti
Conciliant guſtus: ſed, quæ vulgare videri
Nil patitur, ſyncera fames, ſtomachique valentis
Ignea vis, ſilici haud impar, chalybiue domando.
Hæc adſint; tum me laganum, robuſtaque farra,
Et lardo ſaturæ, foſſorum prandia, betæ
Plùs capiant, quàm ſumen apri, quàm Phaſidis ales,
Vnicus aut lato phœnix porrectus in auro.
Nec ſua non ipſis hoc experientia monſtrat
Regibus: vrbanæ ſi fors operoſa culinæ,
Sylueſtri dum Marte feras, ſe ſeque fatigant,
Luxuries auidam longùm fruſtretur orexim.
Tunc etenim ſiccis, & inanibus obuius humor,
Mucidaque exiguæ Cereris fragmenta, bubulcus
Quæ rudis, haud paruum tali pro tempore munus,
Obtu-

Digitized by Google

Obtulit, ambroſiam ſapiunt, cerebrumque Deorum.
Tunc epulis nunquam ſeſe melioribus vſos
Ingeminant: tunc quàm ſimplex, facilisque voluptas,
Quàm paruo conſtent Mortali gaudia, noſſe
Incipiunt, ſummâque minùs ſibi ſorte placere.

32. Par ſomni ratio, quem non diſcrimina vocum,
Et fidium, vulſo nec olore tumentia Strata
Sic faciunt, hilaris ceu mens, & feſſa diurnis
Membra miniſterijs. Spondâ hinc prædiuite, molles
Byſſi inter nebulas, pictoratosque tapetas
Compoſiti, lucis poſt tædia longa, tyranni
Difficiles tenebras, & euntia tempora tardè
Increpitant: nullisque tori non partibus, ægræ
Te requies vitæ, iucundaque mortis imago,
Alme ſopor, quærunt. Nequicquam: exoſus inertem
Luxuriam, tugurî ſecretas pauperis vmbras
Incolis, & vacuæ latebroſa ſilentia rupis:
Qua ſubter vagus vpilio, vel durus arator,
Difficilem exercens agrum, atque exercitus illo,
Indomitas ructant cepas, curataque membra
Fortuitâ effulti ſtipulâ, campumque, diemque
Pectoribus vacuis, & anhelo gutture proflant.
His iuuat vmbriferam penitùs defundere Lethen,
His imperceptâ componere lumina dextrâ:
Hos totum cornu rigat: his dulciſſima mentis
Otia, curarumque obliuia læta propinas.

33. Trãſeo iã reliquas (pudet hac in fæce morari)
Delicias turpes, Veneris fallacia dona,
Probraque mortalis potiùs, quàm gaudia, vitæ:
Quæ iubar omne animi extinguunt, cognataque cælo
Ad pecudum brutos deducunt pectora mores:
Quas modicè ſi delibes; nil cordis anhelos
Imminuunt æſtus: contra immoderatiùs hauſtæ,
Opprobrijs famam peſſundant, corpora morbis.
Eſto, his diuitiæ ſcateant; non fœdius vllum
Crimen habent. Careat ferali hoc munere nuda
Pauperies; tantò laudari dignior, omni

Acriùs

Acriùs hòc fuerit ſtudio, niſuque petenda.

34. At populus reſono interea clamore beatos
Ingeminat, quibus ampla domi patrimonia, clarum
Queîs genus, innumeræque premunt latiſſima ceræ
Atria: regalis quos, vel vicina poteſtas
Nobilitat, fuſique hoſtes, ductique triumphi.
His longam comitum à tergo ducentibus vmbram
Vndique certatim deceditur: hos iuuenesque,
Grandæuique ſenes metuunt, mirantur, adorant,
Terrarum veluti præſentia Numina, plùsque
Interdum, quàm, quod regnat ſuper æthere, Numen.
Horum etiam cineres, humilique putreſcere buſto
Dedignata, plagis ſtellantibus admouet oſſa
Pyramidum ſublimis honos. Stat vertice ſummo,
Compoſiti vultus, maieſtatemque verendam
Herois Pario ſeu marmore, ſiue metallo
Iſthmiaco referens, qua vel Saturnius ipſe
Haud Pater effingi ſe dedignetur, imago.
Virtutum circà chorus: hinc Prudentia bifrons,
Exacti longè ſeriem, ſeriemque futuri
Temporis in medio ſpectans, Aſtræaque iuxta,
Enſe minax ſtricto, rigidæque examine libræ;
Parte aliâ niueis Victoria celſa quadrigis
Hoſtiles latè exuuias, pendentia ſigna,
Armaque trunca virûm, & reſperſos ſanguine currus
Circumfert, immane decus: cui proxima greſſum
Aſſociat, largo felix Opulentia cornu.
Molis at in medio, pennis ſublata, iacentique
Inferiùs Libitinæ inſultans calce ſuperbo,
Tergeminam ſonitu victuri nominis implet
Fama tubam: immortale notis cubitalibus vnde,
Inter adulantûm ſeſe profundere lætas
Palmarum frondes, & marmoreos lemniſcos
Carminis elogium videas: Hìc maximus Heros,
Tantalides Diophantus, Achiuæ gloria gentis,
Barbarie domitâ, Patriâque ex hoſte receptâ,
(Quisquis ades, merito cineri da ſerta) quieſcit.

B Sic

Sic illi in tumulis, vel poſt ſua funera, viuunt.

35. Audio. Fortunæ hoc igitur iam limite regnum
Deſinit: hæc lauti pulcherrima præmia censùs,
Egregium nomen, titulorum grandè ſonantùm
Splendida congeries, turbæ plaudentis honores,
Certaque poſt cineres manſuræ pignora famæ.
His, velut humano tu culmine celſior, infra
Terrigenûm vulgus, ex æquo Numina ſpectas.
Proh Superi, & Ratio ſanctiſſima! Nilne ego, talis
Syncerum morbi quia me voluiſtis, & haſce
Quòd nugas ridere licet, mihi gratuler? En quo
Hæ cenſu tumeant animæ: plebecula magnos
Quòd vocet, illorumq; aliquis dum præterit, Hic eſt,
Hic ille, attonito iactet fremebunda ſuſurro.
Quid priùs hìc, vanum, celebrat dum talia, vulgus;
An proceres mirer, vulgarem qui ſibi propter
Stultitiam plaudunt, alieno errore ſuperbi?
Vt fatear, veram laudem, meritiſque repenſam
Haud pretij vacuam; (vel debita præmia quamvis
Negligit, ipſa ſuo virtus animoſa theatro)
Quæ tamen externi contingit nomine censùs
Diuitibus, tam ficta, leuiſque eſt gloria; veræ
Fortuitas quàm nuper opes bonitatis inanes
Vidimus, eximijque ſuis nil addere fructùs.
Anne igitur ſanus, vel qui tam friuola plauſu
Immerito decorat; vel qui deliria propter
Plaudentûm faſtu ſeſe miratur inani?
Corrige iudicium Stultorum; nil habet ampli
Sors tua, nil pulchri. Excellis, quia deſipit Alter.
Magna igitur ſors haud aliud, quàm inſania magna eſt.

36. Hac externa tenus, quantovis munera cultu
Detineant oculos, pro vilibus, atque minutis
Exhibui, domino veluti mouiſſe ſenatu,
Plebis & obſcuræ in numerum cenſumque referre
Contentus: iam porro Boni neque nomine digna,
Noxia quin magis euincam fugiendaque. Summus
Nam nihil in terris author cum finxerit, omni

Dote

Dote Boni vacuum, nulloque optabile fructu ;
Communis ſolet illa Malis adiungere ſenſus,
In quibus, vt nonnulla Boni ſit portio ; maior
Obruit hanc tamen hærentûm menſura Malorum .
At genus id miſeram blandæ ſub imagine ſortis
Temperiem nulli non vltro agnoſcere promptum eſt.
Quantula ſint pretij, vitæ mortalis in vſus
Illius e donis veniunt quæ, Commoda, plano
Iam, reor, eſt nobis pridem ſermone peractum :
Nunc operæ pretium fuerit Contraria noſſe .

37. Nec mora : ſexcenti ſe protinus agmine longo
Obijciunt, funeſta necis libamina, morbi,
Dimidiæque neces : auidi prurigo palati,
Sæuarumque voluptatum quos largior æquo
Aduehit ingluuies . Neque enim ſapientia paſſim
Obuia, Fortunæ exultanti imponere fræna,
Inter & illecebras, circumfuſoſque paratus
Luxuriæ, iuſto genium concludere gyro .
Certè Inopum ſolidis plerunque vigentia neruis
Corpora, nec multâ feſſas trieteride vires
Aſpicias : procerum paucos, qua ſorte potiri
Deliciæ molles, vmbratilis otia vitæ,
Et nimiùm blandi ſinit indulgentia cultùs .

38. Quid tibi iam reliquos caſus, properataq; ferro
Commemorem toties, toties properata veneno
Funera ? Non, Scythicæ pecudis radiantia terga
Abſtulit heroo quæ remige, Theſſala puppis,
Æquoreos tot paſſa metus : ſirenia præter
Saxa licet, fracto concurſanteſque Profundo
Ferret iter dubium Symplegadas ; obuia ſæuis
Quot locuples fortuna minis . Dulciſſima vitæ
Munera cum primis, epulas, ſomnoſque timendum .
Gemmiferis natat in cyathis, lautoque ſopori,
Importuna comes, Fraus accubat . Arma cauere
Haud ſatis : ipſa armis grauiùs ſæuire docentur,
Ipſa gerunt bellum pacis ſub imagine dona .
Nulla fides generi : qui ſanguine iunctior, hoſtis

Certior. Immitem quoties dos ampla Maritum
Coniugis in lethum miſit? Quàm ſæpe doloſi,
Diues & infelix, Patrui poſt cruſtula, viſus
In portam rigidos ſupremùm extendere calces
Pupillus? Tremuli quoties rugoſa Parentis
Stamina, iamque diu Lacheſim poſcentia, ſeris
Iratus votis, & vota morantibus annis,
(Proh facinus! Tantùmne homines Natura relinquis?)
Filius abrupit, non filius? Omnia quamvis
Syrmata Theſpiaco longè voluantur ab æuo; (a)
Nuſquam humiles caſus: plebeias horrida nunquam
Dignatur tragico lacrymas veſtire cothurno
Melpomene. Soli mirantibus argumenta
Portentoſa, nefanda, fidem tranſgreſſa theatris
Suppeditant proceres: Natorum funera ſoli
Eſſe putant epulas, inſuètaque monſtra pauentem
Cernere, polluto deturbant æthere ſolem.
39. Adde tot egregias vrbes, famoſaque regna,
Tot populos, Marti quos prodidit, vtque perirent,
Præbuit infelix primas opulentia cauſas.
Quæ noſtris vtinam ne ſors impendeat (omen
Ferte procul, Superi: timor eſt ſed iuſtus) Athenis.
Scilicet ignotæ proauorum moribus artes
Degeneri iampridem animos, & corpora luxu
Inficiunt, prædæque vocant ſpe diuitis Hoſtem.
Campeſtres non vlla Scythas vis extera bello
Sollicitat. Nam quæ tam nudi præmia Martis?
Diuitiæ populi ſummæ corytos, & arcus,
Eſſedaque, & iuga pauca boum, horrenteſq; Ferarum
Exuuiæ. At capulo non vnquam dextera ſegnis,
Indomitæ vires, immania corpora, lethi
Sub pedibus timor, ignauumque ſeneſcere. Nil, quod
Illecebris ſpoliorum hoſtilia vota, rapaces
Inuitetque manus: nil, quod non veriùs obſtet
Auſuris. Vallo ſeptemplice firmior, omnes
Vna

(a) *Theſpis apud Horat. in arte Poet.* Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ dicitur.

Vna metus, bellique minas procul arcet egeſtas .
Ramorum viridẽ (non vana eſt fabula) pompã
Diuitis extremo ſpargebat limite Fundi
Ardua, lata, ingens, frondoſo par nemori Nux .
Hinc illi tumor, hinc rerum fiducia vecors,
Terrenique ſatûs nimiò plùs immemor, & vix
Se capiens faſtus . Sed nec Briarëia centum
Brachia, nec trunci ſpatium , atque in Nubila multus
Tendere frontis apex ſic effecere ſuperbam,
(Hos etiam quamvis demiraretur honores)
Ceu ſobolis cenſus, quæ mitibus vndique baccis
Amplectens lætam, ipſa etiam lætiſſima, matrem,
Temporibus circumpoſiti diadematis inſtar,
Pondus erat ſublime, attollebatque ferentem .
Ergo opibus geſtire ſuis, populoque minori
Frondentùm iuxta Dryadum inſultare, nec ipſas,
Altera ceu Niobe Lucinâ diuite felix,
Præ ſe faticinas Dodonæ ponere quercus :
Demens, in foribus quæ iam Niobéia fata,
Mutatosque Deos non cerneret, id neque rebus
In miſeris ſaltem ſupremum habitura leuamen,
Tantalidi magnus dederat quod vulneris author .
Nam puerûm grex fortè vagus, dum quarta camœnis
Iuſtitium fert dulce dies, & gymnade clausâ
Per virides impunè licet diſcurrere campos,
Hàc tulerat greſſus . Qualis (proh Iuppiter!) arbos?
Vnus ait : quo pomorum circumflua luxu ?
Si faciles propiùs ramos demitteret, aut ſi
Nos quoque finxiſſent Neptunia ſemina, quantos
Nuper, Aloidas, cælo capita alta ferentes, (a)
Clamoſus tumidâ referebat voce magiſter ;
Quæ foret hìc nobis vindemia ? Quas ego plenis
Iam tunicis prædas, & quæ ſpolia ampla referrem ?
At mihi Aloidûm nil corpore, ſubijcit alter,
Nil opus in dulces Smyrnæo carmine prædas.
Si vetitum arboreos ſublimi carpere dextrâ ;

(a) *Homer. Odyſ. lib. XI.*

Sublimi haud vetitum iactu proſternere fœtus.
Inuida quos manibus longè Natura remouit,
Ad noſtros iam iam æqua pedes ſolertia ponet.
Hæc vbi dicta, humeri proiecto tegmine, ſaxum
Arripit, & valido rotat in ſublime lacerto,
Mox aliud, rurſusque aliud. Nec cætera ſegnis
Exemplum ſpectare cohors. Par omnibus ardor:
Tela petunt, onerantque manus, atque ictibus ictus
Agglomerant. Pleno volat æthere ſaxeus imber:
Dant gemitum rami: decuſſis vndique tellus
Stipatur folijs, ſtipatur glandibus. At Nux
Infelix, rapidâ circùm ſtridente procellâ,
Tot plagis laniata ſinum, tot fœtibus orba,
Iam viduæ exemplum Niobes, iam ponere flatus
Immodicos, verbis & docta minoribus vti,
Quis furor? exclamat. Quæ vos, temeraria pubes,
Infandæ eumenides ſtimulis tam triſtibus vrgent?
Hoccine ius? Prædas alieno euerrere Fundo:
Exturbare manu pacem: vim, vulnera, cædes
Nil meritis inferre? Ah ſæuo parcite ludo,
(Pœnarum ſatis eſt) ah barbara ponite tela,
Crudeles. Nullo certè vos crimine læſi:
Nil merui, tam dura nocens cur præmia ferrem.
Quin etiam (nimios fractura vmbracula ſoles
Vt taceam) veſtris, par quando, an quæritur impar,
Vel tribus extructis cum glans ſuperadditur vna,
Totque alijs, quorum aſsueti meminiſſe poteſtis,
Materiem Nux exhibeo inſtrumentaque ludis.
Pergitis? O ſoboles Furiarum! Pergite. Dignas
Terga luent pœnas. En rapto fuſte Colonus
(Heu miſeram! Cur non licet hæc mihi vera minari?)
Aduolat: en immanè furit. Vos ille. Magiſtri
Aut ſaltem, indignos qui iam reſciuerit auſus,
Plagoſam ſperate manum, horrendumque tribunal.
Nil agimus. Saxis, quæ iactat, durior ipſis,
In vacuum fuſas ridet gens impia voces,
Miſſilibusque nouis certat: prætexit olympum
Dilu-

Diluuies telorum, & ſpiſſæ grandinis inſtar
Tempeſtas lapidoſa furit. Vulſæ vndique frondes,
Deiecti fœtus, contuſaque brachia: primum
Illa decus patrij, & felix modò gloria Fundi,
Vix lacerum funus, rapti vix vmbra ſuperſum
Iam decoris. Vacuum quid prodeſt crimine pectus,
Quid puram ſeruaſſe fidem? Tu crimen haberis,
Fertilitas, hos tu mihi noxia reddis honores.
Nulla manus ſterilem crudo percelleret ictu:
Lædenti pretium poſſum quia ſoluere, lædor.
Aſt ego, natiuo felix mihi credita cenſu,
Subiectis inopes ridebam in ſepibus vmbras,
Iuniperi, cornique vmbras. Quàm iuſtiùs illæ
Mutuâ nunc noſtris valeant illudere damnis,
Paupertate ſuâ incolumes? Quòd ſi iſta manebat
Sors miſeram, ſi diuitiæ hac mercede luuntur;
Muneribus quid me libuit, Pomona, malignis
Perdere? Non ſatiùs platani de more fuiſſet,
Cælibis aut lauri, viduo frondeſcere luxu,
Vmbrarum dominam? Valeas opulentia, triſte
Exitij pignus. Nemorum cum paupere turbâ,
Et mihi dehinc liceat, nil, quod rapiatur, habenti,
Ducere ceu fructu vacuum, ſic luctibus æuum.
Queſtibus his, medio ſaxorum in turbine, ſæuas
Infelix damnabat opes, ſua funera: parque
Par adeo exitium, & ſimiles hinc quiſque vereri
Condiſcat, ſimilis cui præſto eſt copia, caſus.

41. Non tamen hæc pacis turbatæ crimina, cæcis,
Non latus inſidijs trepidum, violentaque mille
Præcipitis lethi compendia, mille relictæ
Ad lentos obitus tormenta tenacia vitæ,
Omne putes ſortis virus, Summamque Malorum,
Quæ grauior, cum blanda magis, Mortalibus affert.
En alias animi clades, inſertaque cæcis,
Plùs etiam lugenda, Mali contagia fibris.
Agmen agit ſtolidus mentis tumor: obſequijs dum,
Plaudentis populi, vanoque errore ſuperbi,

Egreſſos iam ſeſe Hominem, iam ſumma tenere
Votorum, magniſque putant vix cedere Diuis.
Protinus ergo omnis labor, & ſolertia ceſſit:
Egregijs nuſquam locus artibus: otia cordi,
Fœdaque ſegnities. Quid enim te, Gloria, duræ
Sectari per iter virtutis, vel tua, Pallas,
Munera perpetuo malint ſudore paciſci,
Vna quibus fului blanditur gaza metalli:
Hæc Sophia, & Virtus, hæc quidquid vota requirunt,
Quidquid Numina ſunt? Par inde licentia: faſtus
Impatiens legum: totum vaneſcere ſortis
Creditur eximiæ pretium, communia iura
Si ſubeat. Facinus quamvis ſine dote, nec vlli
Sollicitent fructus; ſat cauſa furentibus ingens
Ad ſcelus, vt ſibi cuncta probent, vel iniqua, licere.
Audax pro virtute furor, pro iure libido,
Multaque poſſe decus ſummum, non debita velle:
Peccando, valeant quid viribus, experiuntur.
Si tibi quid damni impoſitum, ſi læderis inſons;
Iudicij ſpes caſſa. Forum nil omne querelis
Proderit impleuiſſe, nihil mare, ſydera, cælum
Teſtari, legeſque hominum, legeſque Deorum.
Acriùs hoc Illos ſtimulat. Poſt æra negata,
Poſt immiſſa nouis armenta famelica latè
Frugibus, & fines emotos pauperis agri,
Non deerit, quæ te, pretio conducta, trucidet,
Seminecem aut duro ſub ſtipite, dextra, relinquat.
Ergo, licet rapido ſtomachum permiſceat æſtu
Bilis, & incluſas animus malè digerat iras;
Pythagoræ ceu diſcipulus, mutire caueto:
Quin ſorti rebuſque tuis gratare, quòd vna
Pars tantùm ſublata, quòd hoſtis cuncta pepercit
Eripere, & pannos miſero, vitamque remiſit.
Tam violens, furibunda, humani neſcia ſensûs
Diuitiarum eſt conditio, naturaque: legum
Sic tabulas, iuſque omne, ſibi lex ipſa, reuellit.

42. Sed quid ego longis rationum flexibus amplæ

Inge-

Ingenium ferale, & noxia crimina ſortis
Perſequor ? Exemplo liceat cum protinus vno
Diſcere, quàm nihil illius vel maxima quæque
Gaudia, præ miſto alterius ſint pondere partis.
Si quæ Fortunæ eximio ditiſſima cenſu
Floruit ; hæc certè eſt, quæ ferrea dicitur, ætas.
Nunc aurum prope vile : ſuus flaueſcit vbique
Pactolus, Gangesque ſuus. Licet omnia tellus
Non omnis ferat; omnis habet : commercia Mundum
Huc, illuc peregrina ferunt, diteſcere doctum,
In ſeſe ſua dum, diffundens, munera cogit.
Sæcula quæ vel auara magis, vel prodiga ? Quando
Par rerum nitor, aut luxus ſolertior ? Vnum
Certamen, quis plura habeat, quis perdere norit
Splendidiùs : totis conatibus vtraque vanas
Vitæ in delicias ars, & natura laborant.
Anne igitur nobis ideo felicior æui,
Quàm priſcis ſeries Mortalibus : ardor habendi
Cum procul, exiguoque hilarem ſe vita ferebat :
Pro nitidis auro cum ſedibus hoſpita rupes
In faciles placuit ſomnos : penetrabile frigus
Horrida neglecto defendit murice pellis :
Nectareos latices fons, victum præbuit arbos ?
Heu ! quo diuitiæ, cumulo creuiſtis eodem
Inuiſi ſcelerum fœtus, diræque Malorum
Omnigenûm peſtes. Haud illis Maurica ſæclis
Robora deciſas Sipylo preſſere columnas :
Mæoniæ nuſquam chlamydes, & adultera fuco
Vellera Sidonio, nuſquam cælata Corinthus,
Artificumque manus : ſed nec periuria, fraudes,
Inſidiæque truces aderant, funeſtaque bella,
Et ſtrictis hinc, inde pares mucronibus Iræ.
Votorum tunc Summa, ſatis : nullique cupido
Alterius ſuſpecta : hominum quot millia, fratrum
Vnanimi totidem cœtus : tunc neſcia fuci
Simplicitas, tunc alma fides, atque aurea morum
Temperies ; ſine lege pias, ſine iudice rexit.

Priuatus pudor, & cenſura domeſtica gentes.
Illi apices hominum, naſcentis gloria Mundi,
Integer ille æui flos, illibataque cæli
Semina, nec Superis indigna parentibus ætas:
Innocuos quorum mores, tranquillaque nobis,
Neſcio quo læuo ceu ſydere, gaudia præſens
Futilium prouentus opum in contraria vertit.
Et dubitamus adhuc, tot triſtia funera rebus
Cum ferat humanis lautæ indulgentia ſortis;
Accenſere Malis, vitæque inimica putare,
Senſibus abduci vecors ſuprema Bonorum
Quæ crepat, & falſo miratur pectore vulgus?
43. Heu ſteriles Veri, inſanæ quos deuia turbæ
Viuendi per iter ducunt veſtigia, Graios
Tanquã Helice nautas: &, quidquid mens bona contra
Occinat; id rectum, quod plurimus approbat author,
Conſtituunt. Ideone igitur ſuperaddita noſtris
Senſibus æterni, Ratio, lux filia Solis,
Deteriora bonis dignoſcere, curuaque rectis
Qua licet; vt clauſis poſt errabunda Priorum
Agmina luminibus rueremus: lanigerarum
Cen pecudum mos: demiſſo quæ vertice, primis
Quà libuit, temere aſſociant veſtigia: rupis
Et ſiue vna iugum ſcandat; ſeu præcipitet ſe
In foueam; reliquum porro ruit ocyùs agmen,
Securum quò, vel quare ducatur, eatque?
Prima Mali hinc Homini labes: hoc funditus omnem
Euertit vitam. Nemo ſibi deſipit vni:
In commune mali ſumus, abreptique, ſequentes
Abripimus. Fatui ſemper ſic longior ordo
Agminis, & vitæ fit regula publicus error.
Cumque vagos cæli curſus, cum fulminis ortus,
Ventoſque, pluuiaſque, arcanaque ſemina rerum,
Et varias Mundi leges condiſcere nemo
Plebis ab ignaræ eloquio dignetur; eandem
Quæ Bona ſint Homini, vel quæ diuerſa docentem
Attoniti tamen auſcultare, inſulſaque dicta

Non ſecus excipere, ac Naturæ oràcla ſolemus.
Futile ceu vani non multò hic craſſiùs erret
Iudicium populi; quàm ſi ingrediatur opertas
Ventorum, rapidique vias percurrere Solis:
Aut veluti noſtra plùs referat, ætheris alti,
Et pelagi certâ ductas ab origine cauſas
Noſcere, quæ nihil ad vitam moresque regendos
Proficiunt; rectos animis quàm ducere ſenſus
De Pulchri, atque Boni, & vitæ ratione beatæ.
Pectora qui tantus ſtupor alligat? Vnde profunda
Hæc adeo humanis vecordia mentibus? Atræ
Bilis agit furor? An magici violentia cantùs?
An graue ſtellarum iubar? An funeſtior ira
Numinis, eumenidumque faces, pœnæque Nocentûm?
44. Verũ age: ſint Bona, ſint, quantùm plebecula cẽ-
Splendida, magnifica, & noſtris rationibus apta, (ſet,
Sortis ab arbitrio veniunt quæ dona; fruentem
Anne ideo lætum facient, ſolidèque beatum?
Haud equidem, ni perpetuo ſibi tradita nexu
Poſſideat: veluti neque Crœſi æraria ditem,
In patrijs aggeſta licet penetralibus, Irum
Conſtituant, ni ſignatis priùs ille tabellis
Legitimum tanti capiat ius muneris. Atqui
Fortunæ hæc ratio: nulli ſe fœdere certo
Mancipat: exigui tantùm dat temporis vſum,
Cum volet, ablatura. Laris, cenſùſque paterni
Quid dominum falsò te iactas nomine, cuſtos
Veriùs externi dicendus pignoris? Illic
Nil penitus, mihi crede, tuum. Sors annuit æqua
Vtendum: nec, quod dederat, non æqua viciſſim
Sors repetet. Nimbi, fures, incendia, lites,
Naufragia, & quidquid partis nos rebus inanit,
Illius Accenſi ſunt, lictoresque, iubentis
Promere depoſitum. Renues? Cunctabere? Nugas
Egeris: inuito rapient, fruſtraque gementi.
Nec minùs arbitrijs hominum diuerſa, ſuique eſt
Cætera ſors iuris. Quid enim? Propriumne vocabis

Hoc frontis diadema ? Voces : renuente ſuperbum
Indocili ni plebe iugum, iam nuda relinquet
Tempora. Conſpicuam propria inter munera famam
Rettuleris ? Referas : ſi quo tibi bacchare cautum,
Suſpicio ne vana, dolusve, & rumor iniquus
Seu decus id minuat ; turpi ſeu ſtigmate fœdet.
Nonne vides, cuncta hæc, aliena, precaria, iamque
Mutatura larem, nihilò tua poſſe vocari
Iuſtiùs, ac Tyriæ chlamydis, quo pulpita verrit,
Peniculamentum, ſceptrique inſigne coruſcum,
Temporis exigui pompam, ſua dixerit actor
Scenicus, Atriden quoties, ſæuumque Creonta
Exhibet ? Inflato nimirum hic pectore poſtquam
Per populi ſe magnificè circumtulit ora,
Grandia iura dedit famulis, tragicique crepantes
Eloquij ampullas, & ſesquipedalia verba
Conglomerans, regum fortunam, animosque ſuperbos
Impleuit ; poſitis, mora parua, Inſignibus exit,
Furtiuis nudata velut cornicula plumis,
Germanus ficto de regnatore laniſta,
Quique Creon, iam Soſigenes. Hic mimus in horas
Luditur : hæc procerum, quos vulgus adorat, imago.

45. Ergo, ſibi quãvis placeant, Superûmq; velut iam
Collegæ, tumidis affectent ſydera criſtis ;
In medio tamen ægra gerunt ſubmiſſaque faſtu,
Curarum varijs & fluctibus anxia corda :
Nec ratio, aut vis, qua trepidi lenire tumultus
Pectoris, & circùm laquearia celſa volantes
Submouiſſe metus liceat : nec (vt omnia paucis
Exequar) in tanto cumulatæ ſortis aceruo,
Te reliquis vnam potiorem mercibus, vnum
Te curæ votique omnis, Pax aurea, finem
Inueniunt : proprijs tantùm, eximijsque parandam
Nempe Bonis : quæ fortuitò contingere quisquis
Poſſe putat, Chios rigidis e ſentibus idem
Autumnos pendere, vel Hyblæ purpureum ver
Vrticæ, tribulique ſatu ſoboleſcere credat.

Vos,

46. Vos igitur, quorum terreno in corpore Titan
Semina cognatæ haud fruſtra permiſcuit æthræ,
Lætitiæ puros ſi tandem accedere fontes
Fert animus: ſi blanda quies, ſecuraque cordi
Gaudia; quidquid opum cornu largitur amico
Sors leuis, infidos cenſus, perituraque dona,
Magnanimo, cupidi meliorum, ſpernite faſtu.
En alias ſummo deuectas æthere, nilque
Fatorum occiduis debentes legibus, alma
Diuitias Virtus (pretium, voluiſſe) reponit.
Huc auidas mentes, huc vota capacia, totos
Huc animi laxate ſinus. Hoc pectora pleni
Munere, iam fati curſus, iam tempora veſtro
Fingetis nutu. Vel Pacis nulla fruendæ
Spes Homini; totum vel noſtri hoc eſſe fatendum
Arbitrij iuriſque Bonum. Gaudere volentem
Occiduæ nil cuncta iuuant æraria ſortis.
Intra animum naſci voluit Deus, eſſe beatos
Quî liceat. Votis longè contrarius errat,
Deſerto qui ſeſe, alibi ſua gaudia quærit.

EVTHYMIÆ

Liber Secundus.

FELIX, atque iterum felix, ſua pendere norît
Si Bona gēs Hominū! Nullo munimine quā-
Tecta ſub ętherei mittatur luminis oras; (vis
Non tamen eſt, genitam naturę lege malignâ
Cur ſe propterea doleat: vulgoque Ferarum
Cur habiles plumas, innataque vellera, curuum
Aut capitis decus, & validos inuiderit vngues:
Omnia dum, varius quæ rerum poſtulat vſus,
Inſtrumenta Boni, vitæque operoſa tuendæ,
Præſidia in ſolâ meliùs Ratione recepit.
Singula ne memorem, quæ nobis plurima longè,
Commoda, tam pulchro cæli de pignore manant;
Anne parum, noſtris hilarem quòd fingere vitam
Hinc licet auſpicijs, nec auaræ obnoxia ſorti,
Ex ſe lætitiam ſibi ſufficit ipſa voluntas?
Fac, genus hoc vſquam mercis venire, beatum:
Hoc aliquo naſci terrarum limite germen,
Omnia mæſtitiæ abſtergens quod Nubila, puris
Cordibus æternæ inſcribat Thaumantida pacis;
Vllane te medij facies diſcriminis, vlla
Terreret ſeries longarum immenſa viarum,
Oppoſitæque Alpes, tumidisque agitata procellis
Æquora; quin dulcem ad metam per ſaxa, per vndas,
Ipſaque Dædaleis per Nubila curſibus ires?
Vllane Lydorum abnueres æraria regum
Muneris in tanti pretium ſpondere, futurus
Ilicet hoc vno diues, nullius egenus,
Terrenæque ferunt ſortis quæ ad iura, beatus?

Et

Et tamen hæc noſtro vernat ſub pectore meſſis
Aurea : tam lætam quovis Natura ſub axe
Propoſuit mercem Mortalibus. Vnica nigro
India ſit felix hebeno : fragrantia ſoli
Thura legant ſyluis Arabes ; non imputat vllis
Se propriam, nullis facilem ſe denegat oris
Pax, Mundi commune Bonum : eximijsque referta
Dotibus, haud (merces veluti gazæque minores)
Prouentu pretium raro, latebrisque tueri
Indiget, haud famâ ſe commendare remotâ :
Æmula quin potiùs Phœbeæ lampadis, omnes
In populos pleno ſua gurgite dona refundit,
Feſtinatque capi, ſe ſeque morantibus offert.
Deſint diuitiæ, Regnantûm gratia, fulgor
Nominis, illuſtres proaui, ſublimia ſceptra :
Quid tum? Non ideo deërit pleniſſima (mentem
Dummodo quis rectâ inſtituat ratione) voluptas.
Ni, tibi conceſſam, Fortunæ, prodigus, vltrò
Vendideris ; ſtabili propriam ſub lege tenebis.

2. Quod quia Socratico meditatus Apolline, letos
Irrita quàm veniant æui felicis ad vſus
Omnia propitiæ, docui iam, munera ſortis ;
Nunc quàm vana cadant minitantis fulmina, quoque
Illius infeſtam Sapiens vim robore frangat,
(Da fontes, da, muſa, nouos haurire) docebo.
Vt, veluti ſpes ambiguas, inſidaque vota
Depulimus, nil fortuitis occurrere docti
Eximium in rebus ; ſic (quæ pars altera reſtat)
Triſtitiam imbellem, conſternatosque timores
Mente relegemus, nil extima vulnera gnari,
Nil varias clades, humanorumque Malorum
Compoſitis virtute animis tormenta nocere.

3. Non tamen hic ideo (quantumlibet illa repoſtos
Iactitet arcani tripodas ſententia Veri) (a)
Omnia quæ nobis extrinſecùs aſpera rerum
Aduenium, falsò contendam inimica putari :

Naturæ

(a) *Vide Epict, cap. 8. Sen. ep. 24. & 78.*

Naturæ ceu ſponte ſuæ nil corpora lædant,
Nil animos: neque ſæuitiæ verique doloris
Plus habeant, noſtri vanus quàm pectoris error,
Inque ſuas pœnas mens ingenioſa, maligno
Addit opinatu immeritis. Hæc ſplendida dictu
Communis ſiquidem ſenſus ratioque refutat,
Cecropijs grauior Veri cortina magiſtris.
4. Id potiùs, nulli quod ſit dubitabile, ponam:
Mentem hominis multum verſandis rebus, & vtram
In biuij partem libeat, ſeu limite dextro,
Siue ſiniſtrorſum flectendis, iuris habere:
Quatenus alterutrò ſpectantia plurima in illis
Iam falſa effingit; iam parua impenſiùs auget;
Oppoſitis iam miſta (Mali nil quando, Boniue
Syncerum penitùs Mundi concordia diſcors
Rebus in humanis patitur) quocunque remoto
Alterius ſortis diſcrimine, pura ſeorſum
Concipit: hinc adeo vim, menſuramque doloris,
Fortuiti quo corda ſolent percellere caſus,
Non tam luctificâ venientùm ex indole rerum,
Quàm varijs animi ducendam e ſenſibus, eque
Iudicijs, medias queis res perpendimus ipſi.
5. Quæ niſi vera forent; eadem cur fata ſereno
Altera pars hominum, turbato aſt altera vultu
Exciperent? Audin, quàm triſtibus omnia circùm
Compita, perque domos iactetur nuda querelis
Pauperies: ceu ſortis onus, quo maximus æther
Non grauior Mauri ſenis in ceruice recumbat:
Quoque ſuperpoſitam ſemiuſtaq;membra prementem
Enceladus nunquam, ſapiens, mutauerit Ætnam?
Et tamen hanc Phocion adeo cõplexus amicè eſt, (a)
Dyrceusque Crates etiam quæſiuit; vt alter (b)
Quantovis Macedûm mutare negauerit; alter
Toto etiam patrio redimi bene duxerit auro.
Si pereant merces; nullum ſe luget Auarus,

Iam-

(a) *Plut. in vita Phoc.*
(b) *Laert. in vita Crat.*

Iamque venena parat, gladios, ſuſpendia. Rerum
Diſcat Anaxagoras iacturam; Munera veſtra (a)
Agnoſco, Superi, referet. Proh quale gementi
Curarum dempſiſtis onus! Iam non ego fundis,
Non opibus viuam, non lucro hæredis auari,
Sed mihi, ſed ſophiæ. Felix iniuria, ſeruat
Quæ læſum! Fueram, mea ni fortuna fuiſſet.
Ecce, quibus lacrymis, quanto producere luctu
Natorum ſoleat crudelia funera mater,
Ferales amplexa rogos, vnoque cremari
Igne velit. Fruſtra comites ſolantia verba
Ingeminant: nulla eſt tanto medicina dolori.
Quid Xenophon? Caræ ſobolis damnatus acerbo (b)
Funere, lugentes etiam ſolatur Amicos,
Nil mirum repetens, mortalia cedere morti.
Luminis orbus erat Cyclops, fraudatus eodem
Munere Tireſias. Par vulnus vtrique, ſed idem
Non vtrique animus. Lucis ſecurus ademptæ (c)
Colloquijs Parcarum Alter, fatisque vacabat:
Vaticinamque ferens vltra ſua tempora noctem,
Inuia præſagis Arcana legebat in vmbris.
At Siculus paſtor, truncâ veſtigia pinu
Errabunda regens, ſyluas, & concaua duro
Littora rumpebat gemitu, notumque ſubinde
Nomine veruecem compellans, illius æger
Laudabat ſortem, per prata virentia, perque
Irriguas valles, quà deuia cunque libido
Impulerat, Domino quòd fortunatior iret.
Ne longo ſermone ferar per ſingula; fati
Sorte quid extremâ grauiùs Mortalibus? Atqui
Reclamat populo, vanique ea ſpectra timoris
Atticus explodit Senior, non diſpare vultu (d)
Lethiferæ ſorbens virus ferale cicutæ;

Ac ſi

(a) *Val. Max. lib. 8. cap. 7.*
(b) *Laert. in vita Xenoph.*
(c) *Vide Cic. 5. Tuſcul.*
(d) *Socrates apud Plat. in Phæd.*

Ac ſi Palladijs olim Solennibus, inter
Vnanimos cœtus, & amicæ gaudia menſæ,
Lætitiæ authori libaret pocula Baccho.
6. Qui tam diſſimiles igitur de fontibus ijſdem
Affectus animorum? Idem cur caſus vtrinque
Deijcit Hunc; Alium neque dimouet: Illius ora
Confundit lacrymis; Huius nil gaudia libat?
Nēpe, quòd haud minimū refert, quā quiſq; ſuperbos
Sortis ad incurſus, & fata minantia mentem
Obijciat, quo res dubias examine libret.
Sandapilas, morbos, inhonoræ ſtigmata famæ,
Pauperis illuuiem censûs, ſeruile catenæ
Barbaricæ pondus ſunt, qui, ceu ſumma Malorum,
Ac penitùs Mala, concipiunt: immitiùs illis
Quos ideo cur miremur præſentibus angi,
Taliaque experiendo pati, ſibi qualia fingunt?
Omnia cum Sapiens genus hoc diſcrimina, tanquam
Viribus inferiora ſuis, neque funditus omni
Lætitiæ fructu, meritoque carentia, ſpectans,
Quolibet erectam Fortunæ in turbine mentem
Suſtineat: vel ſi feſſus deiecerit Atlas,
Quam tulit, immenſam, per tot iam ſæcula, molem;
Fractaque naturæ deſcendant mœnia; tantis
Indeclinatâ occurſurus fronte ruinis.
7. Picturæ genus eſt, aliâ de parte, aliàque
Quod diuerſa Sui præbet ſpectacula. Dextro
Si lateri aſſiſtas; en Mirmillonis imago
Diſtricto mucrone ferox. Læuâ aſpice; ſcurram
Pantolabum, geſtu cernes, vultuque facetum:
Rectâ deinde ſacer qui fronte videbitur heros,
Proteus haud mendax artis, ſeque illa, vel illa
In perſonarum ſubitò diſcrimina vertet.
Haud alijs excuſa typis hæc omnia credas,
Quêis homines Natura, homines aut veriùs ipſi
Se quibus exterrere ſolent, ſimulacra Malorum.
Hinc videas; metues: contempſeris ocyùs illinc.
Spectabant eadem Sophiæ duo lumina priſcæ,
Abde-

Abderitanus Sapiens, ciuiſque Dianæ (a)
Heraclitus, at oppoſitis e partibus. Ergo
Ridendi nimius toto pulmone vomebat
Aſſiduos alter, ſine lege modoque, cachinnos;
Alter, inexhauſtâ miſerâque libidine flendi,
In lacrymas vix non oculos, lucemque liquarat.
Externa vſque adeo ſibi mens attemperat, &, pro
Arbitrio, nunc has facies, nunc vertit in illas.
Non ſecus ac, tardos vteri ſub pondere menſes
Mater agens, varias rerum, quas ipſa volutat
Fòrs animo, ſpecies pueri venientis in artus
Sæpiùs occulto naturæ imitamine transfert.
Setigeri ſuis vnde notam, criſtisve decoræ
Alitis inſcripto plures duxere figuram
Pectore: ſanguineis hic tempora pingitur vuis;
Inficit huic malas baccæ liuentis imago;
Pomum alijs mento adnatum: nec defuit, ore
Cimmerio attonitam qui, Paruulus, Ilithyiam
Terruerit: tacitis quòd talia ſenſibus olim
Imbiberat ſimulacra parens, creſcente ſub aluo
Effigiem teneri cum conformaret alumni.

8. Fac tamen, in medio ſæuæ diſcrimine ſortis,
(Hoc aliàs iuſtos agitabimus æquore curſus,
Nunc libet intactum tranſmittere) fac nihil, inquam,
Triſtibus eueutis animus tunc conferat, omnis
Manet ab externâ ſed noſter origine luctus.
Quid? Cum mæſtitiæ cauſis procul, inter amici
Blanditias aliquis iucundaque munera fati,
Sollicito dubios agitans ſub pectore caſus,
Ex nihilo (incerti nam cur leuis vmbra Futuri
Plus nihilo?) veri trahit argumenta doloris:
Nec ſecus, ac præcepta animo ſi vulnera ferret,
Ambiguæ vanâ cruciatur imagine cladis:
Tuncne etiam præſens iugulum ſors impetit? An nos
Illius abſentis vice fungimur, armaque fictis

Præ-

(a) *Iuuenal. ſat. 10. de Democr. & Heracl. Epheſio. Lucian. in Auctione Vitarum.*

Præbemus, valeant quæ is nos proſternere, laruis ?
9. Heu furor ! Inuiſis heu nemo nocentior hoſtis
Hoſtibus, ac ſtultus ſibi quilibet ! Vnde remotos
Venari gemitus homini tam dira libido ?
Quæ læui mala fraus genij, quis faſcinat error,
Spernere lætitiam præſentem : craſtina fortè
Quos vehet, aut fòrs nulla vehet quos hora, labores
Præcipere : aduerſis & cladibus obuia ferre
Pectora ? Vos, almæ Pacis iuſtiſſimus ardor
Quos rapit, hæc ſortis libamina vana futuræ,
Has, moneo, curas ſeponite : dumque benigno
Pollice nent hilares Saturnia ſæcula Parcæ ;
Ne pigeat promptâ fugitiuæ munera lucis
(Vlteriùs Babylon, Lydusve inquirat haruſpex)
Excepiſſe manu. Nam quò iam proſpera rerum,
Quò Superi faciles, & euntia vota ſecundis
Ominibus ; liquidos tam puri nectaris hauſtus
Diluit occulto ſi mens ingrata veneno ?
Omnia ſi poſtquam fatorum munere pleno
Euenere ; deeſt animus, ratioque fruendi :
Plùsque fodit dubij ſpecies longinqua pericli,
Commoda quàm quæcunq; iuuent præſentia? Nuſquã
Certa quies : lætæ perijt fiducia vitæ,
Sub trepido tam dira vlulat cui pectore Erinnys.
Cuncta foris tranquilla licet : non finibus Hoſtis
Ingruat, Æolio non turbine mugiat æther ;
Tempeſtas animum verſat ſua : durior intus
Obſidio premit. Æternâ formidine pallens
Stultitiæ culpam luet : infernisque ſub vmbris
Quas vetus immanes præſcripſit fabula pœnas,
Ante rogum, ſuperi fruitur dum luminis aurâ,
Æacus ipſe, ſibi ſtatuet. Quid ſcilicet vrgens
Tantaleum caput,& iamiam voluenda,ruentique (a)
Aſſiduè ſimilis cautes deſignat : anhelam
Quidve famẽ importuna epulis genialibus arcens (b)
Tiſi-

(a) *Lucr. lib. 3.*
(b) *Vide Virgil. lib. 6.*

Tiſiphone? Niſi, Stultorum qui pectora turbant,
Oblatoque vetant fructu gaudere, timores.
10. Hanc adeo vitam, vitæ ſub imagine lethum
Seu magis hoc, priſcis olim duxiſſe Mycenis
(Vera cano: vos o muſæ, & tu teſtis, Apollo)
Narratur veterum titulis generoſus auorum
Andremon, cenſuque potens, felixque futurus,
Eumenidum ſineret furor, & Rhamnuſia vindex.
Namque tumens animi, & magnâ ſubnixus opum vi,
Pauperiem malè tutam, indefenſoſque premebat
Exemplis ciues immanibus, obvia quæque
Legum audax, medijque repagula frangere iuris.
11. Ergo, vbi nulla ſalus rerum, ſpes nulla furentē
Comprimere, humaniſque opibus fiducia deërat;
Offenſum de plebe Aliquem ſic æthera votis
Compellaſſe ferunt. O, qui mortalia, ſummo
Æternùm vigiles ſtellati e vertice Mundi,
Seruatis, Dîj, facta, viceſque merentibus æquas
Redditis, in pœnas cur dextera lentior? Aut quæ
Sera adeo veſtris patientia viribus obſtat?
Scilicet immeritæ Lipareo ſulphure pinus
Fumabunt Rhodopes, & nil peccantia ſaxa?
Qui leuet infando preſſas Andremone terras,
Nullus anhelabit Siculis fornacibus ignis?
Exhauſtæ nubes, torpebit frigidus æther?
At non ille Deos in prælia poſcere ſegnis.
Quid penſi maleſanus habet? Quid liquit inauſum,
Intactumque, furens, ſcelerum? Per ſingula fando
Si ferar; ante diem ſol veſpertinus Iberis
Condiderit, tolletque iterum rediuiuus Eois
Fluctibus. En patrio, en ipſum me nuper agello,
Qui tenuis censùs caput, & ſpes vna tuendæ
Paupertatis erat, nequicquam iura vocantem,
Depulit. Hæc ego ſi tam barbara criminis expers
Supplicia expendo: veſtris ſi liba ſacellis
Annua, & exigui primæuos ruris honores,
Vſque tuli; ſeruate Pios, cohibete Nocentes

O ſu-

O Superi : & tale importuno in Diuite pœnæ
Vindicis exemplum venturis prodite ſæclis ;
Humanas vt ſi vires effræna Potentum,
Baccharique impunè ferox audacia ſpernit ;
Eſſe Deos, fandi memores, ſciat, atque nefandi.
12. Haud vanæ fugere preces : ſanctiſſima cælo
Audijt orantem Nemeſis, magnoque vocato
Concilio virtutum, vna altior ipſa reſedit.
Pompam addunt ſolio, maieſtatemque ſedentis
Horrificant famuli cœtus, Pœna, aſpera Pœna,
Iraque, flammiuomusque Furor, Vindictaque telum
Ingens, ſanguineum, horrendum, exitiale coruſcans.
Parte aliâ ſanctum Praui diſcrimen, & Æqui,
Et Leges, & Iura, & non ſuperabile votis
Reginæ Arbitrium, ſi quando, immanibus auſis
Irritata, velit deiecto fulmine terras
Concutere, & totum impleri terroribus Orbem.
Tali igitur mediam hinc, atque hinc vallante coronâ,
Vltrix Diua loqui ſolio ſic inſit ab alto.
13. Certa quidem nullos tandē vindicta Nocentes
Præterit : & iuſtas ſoluunt Acheronte ſub imo,
In terris quæ dira videt ſol crimina, pœnas.
Sed tardum, manes & fata nouiſſima ſemper
Expectare. Diu felix, vltore remoto,
Spargitur in Plures facinus : exemplaque fiunt,
Quæ fuerant delicta. Erebi illætabile regnum,
Sulphureosque lacus, immotaque iura ferentes
Corpore defunctis Rhadamanthon, & Æacon vmbris
Vix non iam pueri explodunt. Pars vana putare
Nomina, compoſitosq; metus; pars, credita quamvis,
Sera tamen, penitùsque oculis imperuia fata
Deſpicere. Ergo ſciant moniti, non vſq; ſub Orcum
Differri meritos ad poſthuma funera manes :
Nec Superis alium Phlegetonta deeſſe, nouasque,
Digna vel ante rogum ſceleri quæ præmia reddant,
Viuentûm Furias. Iuuat id monſtrare Pelaſgi
Diuitis exemplo : cuius teterrima nullos

Aut

Aut homines timet, aut credit vecordia Diuos.
Nominis indicium furor eſt: Andremona noſtis.
Mentiar, ex vobis ſi quam violare nefandis
Abſtinuit ſcelerum conatibus. Impia facta
Præſenti luat exitio. Vos pendite cauſam,
Supplicijque modum, & dignum ſancite piamen.

14. Dixerat: & vario Comites rumore fremebant:
Sunt, triſido quibus igne placet, cælique ruinâ
Inuiſum properata capût ſub tartara trudi.
Hæc velit, abruptâ merſum tellure, necemque
Sortiri, tumulumque ſimul; velit Altera, captum
Senſibus, ac membris, longâ ſub morte relinqui,
Seminecis miſerum vitæ, ſpiranſque ſepulcrum:
Aſt Aliæ, humani ceu nil ſub pectore geſſit;
Humanæ cenſent ſpoliandum munere formæ,
Mutandumque lupo, rabidæ vel imagine tigris.

15. Nutat in oppoſitas anceps ſententia partes:
Aſtrææ donec fandi locus. Æqua, ſorores,
Illa refert, ſceleri decrêſtis fata: nec vllum
Supplicij tam triſte genus, quin perfidus Hoſtis
Iure ferat. Sedenim, veluti contraria morbo
Quæ mage pharmaca ſunt, ea ſoles cura Medentûm
Deligit auxilio; recti ſic ipſa putârim
Iudicis officium, furijs auſiſque Nocentûm
Indole pugnantes aduersâ indicere pœnas.
Contemptrix hominum, Superûmque audacia primus
Quando igitur ſcelerum fons eſt, Andremona noſtris
Quæ dignum fecere odijs; aptiſſima culpæ
Huîc fuerit vindicta, Deos, hominesque timere.
Lymphatus mentem pauor impleat. Vndique laruæ,
Vndique monſtrificæ aſſiliant formidinis ora.
Nec requies: ſeſe ipſe, ſuamque exhorreat vmbram.
Tormentum ferale, atrox, lethique perennis
Effigies, letho nimiùm quàm durior ipſo.
Sic iuſtum: timeat, quantùm fuit ante timori.

16. Hac Aſtræa tenus. Dictis ex ordine cunctæ
Aſſenſere Deæ. Maleſani crimina faſtûs,

Ocyùs

Ocyùs immiſſo tremebunda in pectora Sontis,
Stat punire Metu. Hunc igitur, tellure ſub altâ,
Quæ, penitùs latitantem, iniuncta ad munera ducat,
Mittitur aerio præpes Audacia curſu.
Illa viam celerans, gelidis conterminus aſtris
Caucaſus æternæ patitur quà frigora brumæ,
Rupibus exciſam medijs, vaſtoque cauati
Per gremium montis fugientem introrſus hiatu,
Speluncam immanem, maleſani tecta Timoris,
Inſolitâ vix non trepidans formidine, vix non
Immemor ipſa Sui, tenet. Occurrere ſub ipſum
Veſtibulum horrendæ facies, Lethumque, Laborque,
Et Morbi exangues, & Bella rigentia ferro,
Sphingesque, Harpyiæque, & terni Cerberus oris,
Hydraque monſtrorum legio, nullique videndum
Bis caput anguicomæ Phorcynidos, & tua, Veſui,
Bellerophonteus ſimulans incendia terror,
Cumque ſatis vdâ Iunone Bimembribus, in ſe
Diuiſi toties numeroſum Ægæonis agmen:
Quidquid & implacidum, violens, ferale, tremendum
Vel ſubeunt; vel cæcâ homines formidine fingunt.
17. Hæc circùm funeſta cohors. Nigrantis Auerni
Oſtia ſæua putes: niſi quòd cupientibus illò
Vſque patens deſcenſus; opaca hìc limina triplex
Conſerit, ingreſſumque vetat ſolido ære rigentûm
Valuarum ſeries: totidem quas inſuper altæ
Præcingunt foſſæ, æterno & munimine firmat
Vis immenſa catenarum, atque ad ſingula ducti
Oſtia ſepteni ferrato robore vectes.
Non illos obices, & inexuperabilè vallum
Terrigenûm vis vlla queat perrumpere: non, ſi
Mille operi inſudent acies, non, ſi noua tentet
Trinacrius moliri opifex miracula. Pulſus
Retro aries, retro catapultæ, & ahenea Martis
Fulmina, tentato nequicquam poſte, redirent.
Ipſa etiam tormenta poli, horrendoque ruentes
Cum ſonitu ætherei furias eluſerit ignis

Septo-

Septorum rigor indomitus. Nec ſpes ſuper vlla
In Domino, qui clauſtra volens immota relaxet.
Quin adeo, ſeu fortè Noti violentior aura
Infremuit ſyluis; alius ſeu proxima circùm
Auditus fragor; hoſtiles, ſibi peſſimus augur,
Inſidias metuens, trepidos ad limina greſſus
Corripit, exploratque vigil, num cardinis vſquam
Mota fides: vitium paries num traxerit: ecquid
Adducti chalybum nexus, côagmentaque ferri
Preſſa: ſuis vectes loculis num firmiter apti.
Mox, neque perſpectis ſecurior omnibus, imam
Rupis in abruptæ noctem, extremumque barathrum
Mergitur. Hìc illum aſſidui Pallorque, Tremorque
Circumſtant: macie prior, illuvieque pereſus,
Luridus, exanguis, quales, dum cæca ſilet nox,
Ferales memorant buſtis erumpere laruas;
Inualidis Alter neruis, fluidâque vacillans
Membrorum compage, & dentes dentibus vſque
Incutiens, lugubrè ſonat, cordique perennes,
Nec lætas choreas anguſto in pectore mandat.

18. Fruſtra igitur pulſis foribus, dominoq; vocato,
Irrita conſilij, munito a limine retro
Vertiſſet, pudibunda, ſuos Audacia greſſus:
Id niſi proſpiciens olli Rhamnuſia virgam,
Cæleſtem virgam, cui nulla repagula, nulli
Non pateant obices, munus fatale, dediſſet.
Hoc vbi inacceſſos pepulit geſtamine poſtes;
Ilicet, immenſi chalybis compage ſolutâ,
Horriſonæ ceſſere fores. Audacia nigrum
Irrumpit chaos, atque imis latitare ſub vmbris
Semîanimem cernit defectâ mente Timorem.
Tum Nemeſis mandata refert, animoſque trementi
Adîjcit. Ille, diu cunctatus, colligeret ſe
Donec, & exhauſto redijſſet ſpiritus ori,
Plurima cauſari primò: iam longa viarum,
Iam dubios caſus, fluxaſque obtendere vires:
Cælicolûm tandem imperijs vrgentibus actus,

Cum Sociâ (neque enim fido, incomitatus, ab antro
Tranſuerſum digitum, latumve erepſerit vnguem)
Progreditur: vel ſic tamen omnia circumſpectans,
Anxius, attonito ſimilis, minimumque crepantis
Ad folij tremebunda inhibens veſtigia murmur:
Concubiâ donec viſæ iam nocte Mycenæ,
Quæſitasque tenent ſopiti Andremonis ædes.
19. Nec mora, laxatos impactæ verbere virgæ
Quin ſubeant aditus. Sedenim, ſtridentia torquens
Pondera, dum foribus cardo reſponſat ahenis;
Exciti ſtrepitu (ſic o Capitolia quondam
Seruaſſent: niuei meritum non anſeris eſſet
Iuppiter incolumis) baubatibus atria ſæuis,
Et trepidam circùm noctem impleuere Moloſſi.
Idque ſatis: medijs extemplo territus amens
Liminibus longè Timor abſilit, actaque retro
Præcipiti dat terga fugæ. Mandata Deorum,
Andremon, Nemeſis, turbato pectore cuncta
Protinus effluxere: ruit: totumque remenſus
Eſſet iter, ni fida comes, ſe perdere blandos
Vt vidit monitus, validæ conamine dextræ
Nequicquam refugum arripiens, ſtertentis in ipſa
Diuitis obtorto miſiſſet ſtragula collo.
Hìc tandem, ad ſcopulum ceu naufragus, hæſit, & altè
Extructo immerſum penitùs ſe condidit oſtro:
Quique ſolet dubijs rebus mos eſſe pauentûm,
Fortiter arripiant vt proxima quæque; cubantem
Circumfuſus herum complexibus illigat arctis,
Inſpiratque nocens virus, cordisque vigorem
Ebibit, & laruis animum feralibus implet.
20. At miſer, accepto penitùs ſub viſcera ſæuo
Hoſpite, Lethæi Andremon mala Nubila ſomni
Excutit, & monſtris grauidus, Quæ dira quietem,
Secum ait, attonitæ rapiunt ludibria menti?
Nempe duos, vultu pariter, gladijsque timendos,
Irrupiſſe fores, mediâque impunè videbam
Latrones errare domo. Num luſit inanis

Sopi-

Sopitum ſpecies? An habent quoque ſomnia pondus?
Credo equidem. Nam ſæpe Deos immittere mentem
Vaticinam de nocte homini, venturaque, dicunt,
Multa per obſcuri nebulas depingere ſomni.
Res igitur non ficta: domi certiſſimus hoſtis;
Poſcimur inſidijs: ipſumque cubile iacentis,
Dum loquor, armatâ vigiles indagine claudunt
Graſſatorum acies. Quid, ſi feralia tela
Immergant iugulo, ſtratisque repente ſupinum
Confodiant? Facient certè. Cur tempora perdo?
Cur ſpatium ſceleri dono? Nec plura, toroque
Exilit: & raptim puluinos, ſtragula, ſellas
Præ ſe conglomerans, primos munimen ad ictus,
(Nam tergo auxilium paries) clamoribus altis
Euigilare iubet Famulos. Turbata repente
Erigitur domus: attoniti properare miniſtri
Cum facibus: Quid triſte? Noui quæ cauſa tumultùs?
Pro ſe quisque rogant. Ille autem, O ſtigmate digna,
Toruus ait, capita, & venalis ſpuma cataſtæ,
Siccine nulla Mei ratio? Sic resque, domusque
Proditur? En, vino ſaturi dum pectora, totis
Ebria ructatis ſegnes obliuia venis,
Per tacitas (adeo crimen vigilantius) vmbras
Incuſtoditis ſubiere penatibus hoſtes.
Furtiuo (neque ſomnus erat) per limina ſenſi
Ire gradu. Non ſic aliàs impunè feretis.
Nunc illud, mora nulla, latus perquirite, veſtram
Quique vicem ſubeant, plectendos ſiſtite fures:
Illic haud dubiè latitant. Paretur: & omnes
Extemplo, ſemel, atque iterum cuſtodia ſolers
Euoluit capſas, loculos, armaria. Nusquam
Indicium furis. Neque ſic tamen ægra remiſit
Formido trepidantis heri. Iuuat vndique totam
Excuſſiſſe domum. Fido latus agmine ſeptus,
Singula rimatur conclauia, protinus ipſis
A foribus clamans, Nunc nunc intendite curas.
Huc ſcelerata fugam vertit manus: hic, velut altâ

Merſus humo coluber, vacuique foramine ſaxi,
Triſte fouet virus. Teneo vos, improba Caci
Sentina, lucifugæ Volucres, Phineia monſtra.
Siccine compilare meam rem, vindice nullo,
Poſſe rati? Iuſtas ſoluetis denique pœnas.
Aduenit, qui veſtra, dies, ſimul omnia furta
Expiet. In medium deuota erumpite morti
Victima. Iactantem nequicquam talia rident
A tergo Famuli, prorumpentesque cachinnos
Oppoſitis arctè ad ſpiramina naris aduncæ
Vix cohibent dextris: vel diſſimulare coactis
Sternutamentis, ementitæque laborant
Ingenio tuſſis. Tandem, poſt omnia fruſtra
Explorata, torum repetit. Iamque otia tectis
Reddita: compoſito iam murmure, languida rurſus
Nox ſiluit. Nullam miſeri ſed pectora noctem,
Tunc etiam arcano penitùs reſonante tumultu,
Accipiunt. Dulci conatur lumina ſomno
Declinare: negant curæ. Vix prima reſedit;
Altera iamque noui ſurgit terroris imago.
Non ſecus, ac vaſto cum turbidus Atlanteo
Seu Boreas, ſeu nimbiſoni furor incidit Euri;
Rupta quies pelagi: bella, horrida bella minantur
Littoribus rapido exciti molimine fluctus,
Inſtaurantque nouas acies, ſemper priorem
Excipit alter, & alter: hic imâ effuſus arenâ
Æſtuat; ille minax abrupto vertice pendet,
Et ſimiles iamiam pronus deſcendit in ictus:
Centum alij, centumque à tergo immania voluunt
Murmura. Spumifero concuſſæ verbere cautes
Horrendùm ingemuere, tremitque exterrita tellus.
21. Eſto, ait, expulſi migrarint ædibus hoſtes:
Num vacui tamen? An vacuas liquere? Quid? Illam
Si tulerint, auri pretioſo pondere farctam
In ſtabulo quam defodi, male prouidus, ollam?
Heu timeo. Non hîc ſeruis confidere tutum,
Non ſoboli, non vxori. Me hæc munera poſcunt.
Haud

Haud mora : conſurgit tacitus, raptoque ligone
Suſpectam reſupinat humum : mox, credita nactus
Pignora, ter, quater enumerat, notisque recondit
Altiùs infodiens latebris : iamque omnia ſalua
Eſſe putat ; cæcis animi iam fluctibus actus,
Neſcit quid trepidet, trepidat tamen omnia. Vix ſe
Proripuit ſtabulo abſcedens, ſubitusque reuertit :
Nec modus, aut requies, motæ veſtigia terræ
Calcato delere ſolo. Quò cautiùs omnes
Nititur inſani cauſas remouere timoris ;
Hòc plures, pluresque in pectore colligit, augens
Anxiferam, nimià dum diſcuſſiſſe laborat
Anxietate, luem. Iam conſcia raſtra, lucernam
Iam teſtem, (Quid multa?) ipſum iam ſe timet, auri
Ne quà defoſſi indicium, ſibi perfidus, edat.
22. Interea pulſis rediuiuo ſole tenebris,
Poſt vigiles noctis curas, haud lætior ægro
Lux oritur : qua cogendi pars rite ſenatùs
Eſſe iubebatur, mulctæ vel nomine certum
Pendere (ſic patrijs prouiſum legibus) aurum.
Ire parat : ſed, multa timens, priùs omina linguis
Ex auium, penniſque notat : num garrula cornix,
Parrave, num læuo Mauortius æthere picus.
Cuncta fauent, vnum trepidi modò pectoris abſit
Augurium. Cornix illic, funeſtaque parra,
Noctuaque, & bubo, & diræ genus omne Volucris
Funereo triſtes alternant gutture cantus.
Ecce autem Tyrio fulgentia vellere, contra
Lampadis æthereæ radios, vmbracula ſerui
Extulerant. Acri ſpectans hos turgidus irâ,
Quò mihi tam vani, ſtolidiſſima pectora, clamat,
Tegminis auxilium? Nempe hoc imbellis Arachnes
Aerium vellus, Tyria hæc nubecula frontem
Munierit, patulis vbi fòrs rimoſa feneſtris
Vaſa cadant, nimio vel tegula ceſſerit Auſtro.
Vſque adeo ſolis antèhac didiciſſe negatum ;
Vel nihil & gnaris curæ eſt, quot fata ſupernè

Immineant? Quid? ſi fuluus Iouis armiger, alto
Rapta ferens cælo teſtudinis oſſea terga,
Vnguibus e curuis ſubiecta in tempora durum
Excutiat pondus? Tali an non Æſchylus ictu (a)
Æſchylus Actæi iubar immortale cothurni,
Ac ſcenæ decus occubuit? Pro diuite velo
Ocyùs immenſum clypei ſeptemplicis orbem,
Tergoribus taurorum, inſutoque ære rigentem,
Deſuper ambiguos contra prætendite caſus.
Ne multis morer; allato ſub tegmine, vulgi
Non ſine mirantis riſu, varioque ſuſurro,
Egreditur: necnon munimine tectus eodem,
Poſt deciſa, domum, Patriæ conſulta, reuertit.
23. Iamq;dies,medium curru permenſus olympum,
Tempeſtiuam epulis tulerat genialibus horam,
Suadebatque toros conſcendere. Plurima ſecum
Ille diu verſans (metuit quippe atra venena,
Quale ſuo, ignarus, lateat ſub pectore virus)
Antidoti demum exhauſto ſeptunce, Quid iſtæ
In medio Volucres? interrogat: vtque coturnix
Reddita; An ex nihilo fuerat, quod præſcius, inquit,
Extimui? Quem nempe fugit,genus hocce Volantûm
Lethifero ſolitum veratri ſemine paſci? (b)
An non inſidias teneo? Si dê inde vel vmbram
Alitis infandæ noſter tepefecerit ignis;
Vos ego. Sed piſces iam ponite. Tuberis inter
Continuò tenues lamnas, croceumque liquamen,
Ingenti recubans muræna paropſide fertur.
Quam ſimul aſpexit, ſublatâ percutit amens
Fulcra tori palmâ,Quodnã hoc(Proh ſydera?) fatum?
Vociferans. Serui infando me perdere letho,
Per Superos, manes & iurauere per imos.
En qualem, poſt mortiferas, inferre, Volucres,
Cognatum nigris piſcem ſerpentibus auſi. (c)
Quid

(a) *Plin.lib.10.Hiſt.Nat.cap.3. & Val.Max.lib.9.cap.12.*
(b) *Plin.lib.10.Hiſtor.Nat.cap.23. & Lucr.lib.4.*
(c) *Plin.lib.32.Hiſtor.Nat.cap.2.*

Quid ſupereſt, ipſos poſthac niſi lancibus addant
Vt virides colubros, & cum buſone ceraſtas,
Squamigerique Afro quod littore cunque veneni
Voluitur? At meritas dabis, opſonator inique,
Tu mihi tu tergo pœnas. Nudate ſceleſtum
Protinus, inque humeris tercentum frangite virgas.
Sic miſer in Famulos ſæuit: ſic cæditur ipſe,
Attonitum ſurdo pectus laniante flagello.
Nam neque iam reliqui guſtùs ſecura voluptas.
Fel rhombus, fel dama ſapit: vindemia Cretæ,
Et Mitylenæi damnatur palmitis humor.
Omnia viroſo abſinthi medicamine ſæuus
Confundit timor, in pateris ſpumare cicutas,
Mortiferumque tegi cruſtis fallacibus hamum
Vſq; monens. Quid agat? Cupido nunc admouet ori;
Admotas refugo nunc ore auertitur eſcas:
Fortior en hauſit; iam damnat, & expuit hauſtas.
Nec ſatis id: menſis, morbo gliſcente, repulſis,
Sepoſitas celer in latebras ſe proripit, &, quæ
Cunctabunda fames ægro vix fruſtula ventri
Crediderat, merſis ea protinus omnia fauces
In medias digitis, ſudans, miſerèque laborans,
Exitiale velut virus, prorumpere certat.
24. Cetera quid memorẽ? Loricę vt pondere vaſto,
Ipſe ſibi, fictos hoſtes dum ſomniat, hoſtis
Verior, inualidos nunquam non frangeret artus?
Vt nullum, veterem quamvis notumque ſodalem,
Ni priùs excuſſum tunicas, ni prorſus inermum,
In ſua deduci ſineret penetralia? Cæcis
Auditum quoties arcanæ noctis in vmbris,
Immanem ceu Sphinga, vel horriſonas Harpyias,
Horruit infelix culicem? Quàm ſæpe relictis
Turbidus exiluit Stratis: illapſa rapaci
Materiæ tacitum ne fòrs ſcintilla foueret
Exitium: bis, terque manu Babylonia vela
Concutiens, necnon omnes hinc, indè ſagaci
Nare trahens auras: num qua de parte timendus

Furtim graſſantis ſe proderet halitus ignis?

25. Triſtibus his animi ſtimulis noctesque, diesque
Saucius, impatiens ſomni, neque prouidus eſcę,
Ducebat letho quouis crudelius æuum,
Hoc felix, miſerum haud longè quòd duxerit æuum.
Cum nullas etenim, fraudis plena omnia fingens,
Auderet trepidis epulas contingere labris,
Præter poma, ſuâ ramis quæ pendula carpsêt
Ipſe manu; conſueta legit dum pabula, putre
Arboreo malum de vertice (neuerat æqua
Sic Lacheſis) medio miſeri nil tale verentis
Illapſum capiti eſt. Plumbo Balearis habenæ
Ille, vel excuſſo frendentis turbine ſaxi
Tempora diſſiluiſſe ratus, ſpirabilis auræ
Vix tantum, vocisque habuit, qua diceret, Eheu.
Mox præcluſâ animâ, nimio præcordia circùm
Se denſante gelu, & venas arctante pauore,
Corruit exanimum deſerto in gramine pondus.
At Socij, Iuſtis patrio de more peractis,
Funereum tali ſignarunt carmine ſaxum.
Hìc ſitus Andremon. Animam qui ſuſtulit, oſſa
Implet adhuc timor. Armatus, diſcede viator:
Ne ſubitò vacuâ trepidus cinis auolet vrnâ.

26. Rara quidem, fateor, tam diri exēpla timoris:
Num paucos tamen inuenias, quêis peruigil angor
Vſque laceſſentûm nullam ſub corde relinquit
Curarum requiem: aſſiduis quin morſibus ipſum
Extenuat, minuitque, animi per vulnera, corpus?
Dum varios vitæ caſus, nunc triſtè minantis
Tabem improuiſam morbi; nunc mercibus Indis
Aduerſas hyemes, aduerſos frugibus æſtus;
Nunc alia attoniti ſecum diſcrimina voluunt:
Iamque adeo ſubijſſe putes. Proh neſcia gaudî
Pectora! Iucundis proh rebus ſemper iniqua
Mens hominum! Sic ergo parùm præſentia vexant
Nos Mala? Cara domi vſq; adeo eſt annona dolorum,
Vt procul ambiguas lugendi quærere cauſas,

Inui-

Inuitiſque iuuet lacrymas præſumere Diuis?
Quæ miſeris ævi talis ſperanda voluptas?
Funeſtæ quis amor lucis? Finire laborem
Non ſemel, & propero fungi, dum ſimplice, letho
Sit ſatiùs, quàm perpetuo tabeſcere luctu,
Totque ſubire, fluunt vitæ quot tempora, mortes?
27. Et verò prævisa homines ſi damna, timendo,
Effugerent, aliquâ vel demum parte leuarent;
Non penitùs cauſæ timor & rationis egeret.
Nunc crucient ſeſe, & gemitu præcordia rumpant,
Si libet; haud tamen efficient, ne ſiue proteruus
Mercibus Eois Boreas; ſiue aſpera ſulcis
Inuideat grando: vnumque hoc veſana Futuri
Anxietas lucrum metuentibus afferet, vt ſint
Bis miſeri, & tantò plorent ſua longiùs; ægris
Plùs quantò properant animis præuertere fata.
28. Adde, quòd imprudens venturi temporis augur
Sæpe fuit timor, & quamplurima fingere gaudet,
Nec cælo decreta, nec vllis debita cauſis.
Quæ tibi ſollicito quid tandem pectoris æſtu
Voluere profuerit; niſi, ſomnia vana trementem
Vt certus dolor, & præſens ærumna fatiget?
Nonne vides, ſpeculâ aerij qui montis ab altâ,
Nubibus admotæ vel ſummo è vertice turris
Deſpiciunt vaſti præceps immane Profundi,
Offundente metu nebulas, plerunque labare
Greſſibus, &, vis nulla licet concurrat, ad imum
Sæpe ſui ſolâ capitis vertigine volui?
Hoc trepidæ mentis ſpecimen: ſic illa ruinas
Sponte facit, quas facturam ſe finxit, & ipſo,
Abſtineant vt fata manum, turbante pauore,
In formidatos detruditur anxia luctus.
29. Denique pro certo ſtatuendum, plurima, triſti
Quæ nos ſæpe metu, rerum diſcrimina, verſant,
Plùs præſumpta animo expectataque lædere, ſenſu
Quàm coram percepta: Malis & mitiùs ipſis,
Inſtantûm quàm prouiſu ſpecieque Malorum,

Torqueri mortale genus. Seu diſſita fingit
Quòd veris maiora timor; ſeu tota refuſi
In longam ſeriem momentaque plura doloris
Concipitur pariter quòd Summa: nèc ille, nocendi
Sævitiâ modò, ceu vehemens incumbere; tractu
Sed ſpatij quoque, ceu lentus ſupereſſe, fatigat:
Multiplicemque ſui turbam, numerumque ſequentem
Colligit, &, toties geminus, violentiùs vrget.

30. Quæ ne, luminibus craſſi minùs obuia vulgi,
Te pariter ratio Veri fruſtretur inanem;
Sic habeas, longum, quo res protenditur, æuum
Illius haud proprijs vim, per ſe, viribus vllam
Addere: nec, ſi quid duret prolixiùs, vno
Maius idem titulo ſpatij maioris habendum.
Cum ſeries etenim curſuſque volubilis æui
Per momenta fluat, ſibi ſuccedentia, ſeque
Ordine perpetuo fugere, & propellere nata;
Illius exactæ partes, parteſque futuræ
Quàm nihil in præſens ſunt; tam præſentia nullo
Adiectu cumulant: veluti, qui craſtinus alueûm,
Seu Rhodani implêrit, flaui ſeu Tybridis humor
Præſentûm fluidam nil molem extollit aquarum:
Nec, quia deîn ripis laticum par Summa recenti
Adueniet cenſu; bis tantò plenior amnis
Nunc ideo fluit, aut tantò deîn plenior ibit.
Nempe quòd vndæ vndas fugiuntq; fugantq; viciſſim:
Nec ſimul aut hodie venturus littora gurges
Alluit; aut præſens, illo ſubeunte, manebit.
Ergo, diu quamvis teneat, rabiemque malignam
Protrahat in ſeros, qui nunc dolor ingruit, annos;
Longior ille quidem, ſed non violentior æquè
Hinc fuerit: neque re verâ te immitiùs anget,
Vſque nouus fodiens, iterumque, iterumq; renaſcens;
In primo quàm ſi penitùs vaneſceret ortu.
Singula nam vitam ceu per momenta minutim
Carpimus; hæc eadem ſic per momenta dolemus.
Et veluti lex æterna, atque immobilis ordo

Natu-

Naturæ haud patitur momenta ſubinde futuris
Vlla ſimul iungi præſentia; ſic neque luctus
Præſens cum luctu potis eſt, qui deinde ſequetur,
Conſtitui, atque adeo augeri intendique per illum.

31. En tibi iam praui ingenium crudele Timoris:
Ille ſimul totam, longo quæ extenditur æui
Limite, vim ſortis meditans, vnoque remiſcens
Intra animum cumulo, cunctos quoque colligit vnum
In cumulum, nulloque pati non tempore cogit,
Paulatim ſubiens quos aduehet illa, dolores.
Quantò igitur Tyberis flueret torrentior, omnis
Vndarum ſi diluuies, quæ perpete fluxu
Succedunt alijs aliæ, totiesque relinquunt,
Et toties replent aluêum, glomerata coiret;
Tantò ſæuior eſt, vrgetque immaniùs angor,
Quem cumulat mens ægra ſibi, ventura pauendo
Dum Mala, proceſſus longos momentaque cladis
Intra ſe pariter complectitur omnia, vero,
Percipient quem mox animus ſenſusque, dolore,
Externâ cum lege eadem iam fata ſubibunt,
Per minimas æui ſenſim accedentia partes.

32. Barbare, crudelis, tortorum ſumme, nec vllos
Ingenio mites non aſperiore tyrannos
Effecture Timor, quæ te tam dira tulere
Semina? Qui Eumenidum thalami, & Cocytia ſtagna
Tantam Orbi peperere luem? Miſeratus acerbas
Res hominum, bene ſupremus Rectorque Paterque
Cauerat, vt Mala viuacis metuenda ſenectæ
Penſarent leuitate moram, grauioraque rurſus
Exiguo nimias arctarent limite vires.
Hinc adeo vanis ſe ſanguinolenta tyrannorum
Vrgebat ſtimulis rabies: laniare nequiret
Cum penitùs, quos extremæ deuouerat iræ;
Quin ſubitò pœnis abſolueret, & cruciatus
Hòc breuior, quò vis cruciandi immanior eſſet.
Quam nullus Phalaris tamen, aut Mezentius vnquam
Inuenere, diu pariter, ſummèque nocendi,

Ingenij funeſta tui vis repperit artem.
Vltima quippe Malorum, eademque breuiſſima longè
Protrahis, anticipans: quæ verò haud robore; tractu
Sed ſpatij numeroque valent, ea viribus auges
Immodicis, triſtes annos, grauiumque dolendam
Luſtrorum glomerans momenta in ſingula turbam.
Vt, velut immenſi ſupremus temporis author,
Per ſe ſe in ſe ſeque manens, vitam ſimul omnem
Colligit, æternùm qua feliciſſimus, æui
Quolibet humani ſpatio complexus, in vnum
Cunctaque concilians actum ſua gaudia, vaſtos
Sæclorum per circuitus porrecta: nec illi
Hora ſequens quidquam fructûs vitæque beatæ
Aut rapit, aut cumulat; ſic totam nos quoq; (quantùm
Diuinis humana licet componere) vitæ
Summam infelicis nullâ non illius horâ
Ducamus, puncto quocunque volubilis æui
Complexi, quosvis æuum feret omne, quibuſque
Dicemur miſeri longo dein tempore, luctus.

33. Ergo procul poſitos, ſi quē ſua gaudia tangunt,
Ante diem ſtultâ gemitus accerſere curâ
Ne properet: quin ſollicitæ formidinis atras,
His ſe conueniens rationibus, arceat vmbras.
Quid trepido? Cur læua ſibi mens diſplicet? Vnde
Nubilus hic animi mæror? Quod vulnus adactum?
Quæve premit duræ miſerum violentia ſortis?
Num ſubuerſa domus? Capitis num dicere cauſam
Cogor? Iniqua valetudo? An deformis egeſtas
Sollicitat? Nil tale. Domi res tuta: per omnes
Alta quies leges: ſynceri corporis artus,
Suſtentatque ſuus venas vigor: omnia præſto,
Naturæ varios quæ vita requirit ad vſus,
Commoda: delicijs etiam non pauca ſuperſunt.
Quin igitur fruor, vt lætus conuiua, paratis?

34. At res ambiguæ: nudum latus: vndique terror,
Infeſtæque vices. Quid? Longo parta labore
Si male propitiâ decreſcat Summa Lauernâ,

Nomi-

Nominis egregium liuor ſub ducat honorem,
Patris ab amplexu ſobolem Libitina reuellat,
Nec mihi parcatur miſero, ſed forfice crudâ
Sors eadem Nati primos, mediosque Parentis
Præcipiat, damnetque rogis feralibus annos?
Quot ſubitis heu vita Malis obnoxia, nullæ
Quæ valeant hominum curæ, aut defendere vires?
Eſto: ſed an certis Parcarum hæc condita Fuſis?
An plenum, quæcunque licet contingere, fati
Pondus habent? Nemo vatum mihi rite negauit
Euentura: ſed & nemo euentura recepit.
Cur igitur, quæ nulla dies fors vexerit, omni
Anxius opperiar? Dubij cur alea casûs
Attonitam certo defigat vulnere mentem?
Scilicet augurijs nunquam me talibus ante
Illuſum memini? Quoties mihi triſtia falſus
Præcinui vates? Quoties dira omina, verſis
In melius mox auſpicijs eluſa, meosque,
Expertus vanos, riſi mecum ipſe timores?

35. Fac tamen, ex vero timeam, quæ præſcia longè
Mens canit; haud lacrymis ideo ſua tempora deerunt:
Vulnera ſat miſero præſentia flere vacabit.
An ſerus, qui tunc fodiet Vitalia, mæror;
Ceſſanti vt ſtimulos iuuet addere? Sortis acerbos
Haud lenit formido, etiam plùs aſperat ictus.
Cur Mala fortuitis iunxiſſe vltronea damnis,
Bis tantùm doliturus, amem? Cur, mitia quando
Parcunt fata, mihi non parcam, ſæuior ipſe?
Cur, quia cras ſubeundâ infelix clade futurus;
Nunc quoq; ne non ſim, metuo? Quin, craſtina quantò
Lux infeſta magis; tantò propenſiùs æquum eſt
Indulgere Bonis præſentibus: altera ſaltem
Temporis alterius lacrymas vt tempora penſent,
Et Bona venturos redimant hodierna dolores.

36. Talibus, ò, qui conſilijs abſentia victor
Prædomuiſſe Mala, & venturæ ſortis iniquos
Diſceret exarmare metus, quantam ilicet vno

Cum-

Curarum ſibi materiem præcideret ictu?
Quæ ſubitò lacrymis faceret compendia? Certè,
Humanum quæ fata genus præſentia vexant,
Exiguis circumſcribi plerunque videmus
Finibus, & vitæ haud nimiam ſibi poſcere partem:
Præterea ſocias vix vnquam in prælia vires
Iungere: quin potiùs diuiſim ſingula, nunc hæc,
Alterno nunc illa gradu ſuccedere. Quæ ſi
Turbidus vſque ſibi in denſam glomerata phalangem
Obijciat Timor; aſſiduis iam nulla vacabit
Fletibus hora: quies aderit iam nulla dolendi:
Cunctaque mens nullo non tempore fata gregatim
Perferet, in totum quæ Numinis æqua voluntas,
Per certas ſubeunda vices, diſpertijt æuum.
37. Heu Pyrrhæ genus infelix, dum talibus vltro
Se minuit curis! Et adhuc intendere litem
Naturæ, Sortique vacat: ceu mellis auari
Ieiunâ vix irrorent dulcedine, mergunt
Deucalioneo abſinthi quam gurgite, vitam?
In vos hæc, meriti, conuertite iurgia: voſmet
Hoc potiùs, ſi quis pudor eſt, inceſſite queſtu.
Inuidiâ Natura vacat: Sors criminis expers.
Quàm lætos agitare dies vtriuſque liceret
Muneribus, ſua rite animus modò carpere noſſet
Gaudia? Sed veſtrâ vos hanc oneraſtis, & illam
Stultitiâ. Vos Naturæ pia dona parentis
Perditis, vtendi indociles: vos Aſpera Sortis,
Ambigui procul in latebris ſecluſa Futuri,
Neſcio qua flendi inſanâ prurigine, lentos
Accelerare gradus, denſiſque incumbere ſignis
Cogitis: vt pecudum melior iam penè videri
Conditio, quas ſola mouent præſentia, poſſit:
Quæque vel inſtantes caſus, certosque dolores
Frangere debuerat, dubijs longèque remotis
Iam vires geminet, Ratio, ſpatiumque nocendi.
38. Non tamen hęc illò vergunt documenta, futuris
Præparet vt nunquam ſeſe mens prouida fatis:

Quod,

Digitized by Google

Quod, genio indulgens, nimiùmque operatus inerti
Deſidiæ, cecinit blandis Epicurus in hortis. (a)
Curarum nullas inter, nimiaſque ſequeſtris
Tertius it limes ſpatijs. Bruta inde vagantur;
Hinc hominum vulgus Brutis dementius errat.
Tu Medium teneas. Præuiſa vrgere timendo
Vulnera, non illis vetui fomenta parare.
39. Quin potiùs dubios vigilem præuertere caſus
Te iubeo: leuiùs feriant quò denique, certâ
Iam domiti ratione, &, quem proſpexeris olim,
Tutior excipias, animique paratior ictum.
Cernis, vt, æquati licet indulgentia ponti
Strauit iter, pronamque vehunt ſua flamina claſſem;
Diſpoſita ad varios cæli tamen, ac maris vſus
Præferat armamenta, & clauo ſedulus vſque
Aduigilet Siculis rector Palmurus in vndis?
Non, vbi ſuſpectus tantùm locus, omnia circùm
Proſpicit, & fido munit tentoria vallo
Dux ſapiens: medij non tantùm tempore belli,
Agmina cum trepidas quatiunt hoſtilia portas,
Excubat armatus miles: vel pace ſub altâ
Peruigil in ſpeculis muros cuſtodia ſeruat.
Vis procul, infeſtique metus: nulla arma minantur
Perniciem ſubitam: ſed enim, neque poſſe minari,
Tutius. Inſtantem dum vulneris vnius ictum
Effugias; præſtât vel non metuenda cauere.
Nil ideo armorum ductori fœdius inter
Bellica, dicebat Fabius, diſcrimina, quàm ſi, (b)
Non expectato deprenſus ab hoſte, recepti
Inuidiam ſtudeat crimenque auertere damni,
Fraude repentinâ & cæco ſe turbine Martis
Oppreſſum memorans. Hoc tu, vaniſſime, culpam
Præſidio tueare? Haud nomine certiùs vllo
Argueres. Totam hæc, ſi neſcis, cauſa Malorum
Detrahit inuidiam Fortunæ, vnumque nocentem
Te

(a) *Cic. 3. Tuſcul.*
(b) *Sen. lib. 2. de Ira cap. 31.*

Te peragit. Poteras cenſeri, hæc abſoret, inſons?
Se totam tibi, cum ſignis, legionibus, armis,
Patria commiſit: fers tecum publica gentis
Votaque, fortunaſque: & tanto in cardine rerum
Eſt aliquid, quod ſecurum immemoremque pericli
Prætereat? Fraus implicuit nil tale verentem?
Implicuit meritò. Nam cur, contingere quidquid
Fas foret, haud animo veritus? Quid luce volutas
Conſilij? Quænam vel noctu ſomnia cernis?
Ambiguum ſi Martem agitans non omnibus horis
Furta inimica, dolos, cæcamq; vnde vnde times vim?
Hæc Ducibus Fabius: ſed non minùs hæc ſua cuique
Ingeminat Ratio. Bellum, irreparabile bellum
Præ manibus: ſæui circumſtant vndique caſus:
Nulla fides rerum. Quid tu? Cum cominus hoſtis
Irruerit, laterique auidum iam iam imprimet enſem;
Loricam circumſpicies? Ni pugna paratum
Inueniat; ſternère miſer, ſiebisque ſub ipſam
Plùs pauidus tantò medij certaminis horam;
Ante tubas quantò fueras ſecurior. Omnis
Improuiſa Mali ſpecies violentiùs vrget,
Magnaque vis ſubitis eſt caſibus. Ipſe tumultu
Intrepido Sapiens, cui peruigil vſque Futuri eſt
In ſpeculis animus, qui ſedulus omnia ſecum
Diſpoſuit, vix non titubat, componere greſſum
Vix meminit pugnantis, & arma obuertere contra
Fortunam: nedum, qui nulla parauerit ante
Arma, locum teneat. Sententia Socratis aptè
Huc facit: impacto colaphi qui ſaucius ictu, (a)
Pol miſeram vitæ legem, nimiùmque moleſtam!
(Rettulit) ignorare homines, quo tempore frontem
Expediat fido galeæ munimine cingi.
Ille ioco queſtus: ſed ego te, propter eandem,
Quolibet ire velim galeatum tempore, cauſam,
Tempora quòd galeam ſibi depoſcentia neſcis.

40. Sed iuuat hìc ipſam rationem euertere, caſus

Qua

(a) Sen. lib. 3. de Ira cap. 11.

Digitized by Google

Qua dubios reputare vetat Gargettius author.
Nempe quòd inuiſos hæc tantùm cura dolores (a)
Anticipet, vanâque animos formidine verſet.
Pallitur. Inuiſos quin veriùs illa dolores
Ars minuit, vanâque animos formidine ſoluit.
41. Nam cur ſollicitos, venientibus obuia fatis,
Mens ſibi congeminet potiùs, quàm leniat æſtus?
Aduerſis num ſigna palàm contraria ſignis
Si moueat, grauiùs turbabit pectora, quàm ſi
Occultus ſubitâ à tergo vi irruperit hoſtis?
Maior ab ignotis ſemper metus. Humida terras,
Aſpice, nigranti cum nox inuoluit amictu,
Eripuitque oculis Mundum, & diſcrimina Mundo;
Luce quid extinctâ, cæco quid triſtius Orbe?
Eſto, nihil viſu implacidum, nuſquam horrida ſeſe
Obijciat certæ ſpecies formidinis: ipſum
Ipſum animos grauiùs, metuēda haud cernere, turbat;
Sæuaque adeſſe pauor, quia nil videt, omnia credit.
Haud aliter ſqualente chao, & deformibus vmbris
Merſit vbi trepidam ſua nox, inſcitia, mentem;
Acrior hòc, quia cæcus agit præcordia terror.
Nil non horrificum: tanta eſt menſura timendi;
Fortunæ vis quanta. Innubi ſydere Verum,
Fac, radiet, parui Verum ſol vnicus Orbis;
Omnia iam ſyncera: ſuus color, & ſua verſis
Rebus adeſt facies. Simul atræ nubila noctis
Diffugere; metus ſimul aufugiſtis inanes.
42. Tuq; adeo expertus, Macedo. Languētibus aſtris,
Fatorum grauidam roſeo Tithonia coniux
Extulerat temone diem, qua, iudice ferro, (b)
Lis ingens dirimenda, Aſiam, Europamne maneret
Imperij decus, & Mundi foret vtra ſubacti,
Perſepolis, an Pella caput. Iam barbara pugnam
Agmina diſcordi circùm clamore fremebant:
Prouectum iam Mane polo. Certaminis ille
Immemor interea, ſub diuite conopeo,

Secur-

(a) *Vide Cic. 3. Tuſcul.* (b) *Vide Curt. lib. 4.*

Securam toto proflabat pectore noctem.
Vix tandem ſatiata quies: vix cornua mille,
Tympanaque extremum ſonitu accendentia Martem
Excuſſere toro. Mirantibus inconcuſſam
Tum ſocijs tanto fati in diſcrimine mentem,
Anne ſoporiferæ ſuccumbere creditis, inquit,
Me nocti potuiſſe priùs, quàm corde ſub alto,
Quæ dubium facerent hinc, atq;hinc omnia Martem,
Librarim momenta? Vigil mihi cura ſolutam
In vacuos potuit mentem componere ſomnos:
Nec minùs, inſtanti nunc iam certamine, felix
Auſpicium facit. Ite alacres: dent claſſica ſignum,
Et ſolitas pugnâ e mediâ decerpite lauros.

43. En igitur qua primùm animus ratione futuram
Exarmet, vigili anteuenit dum pectore, ſortem.
Scilicet ambiguæ nusquam hìc caliginis horror:
Plena dies, liquidumque iubar. Quid ſingula rerum
Sæuitiæ luctûsque habeant, quoâd lædere poſſint,
Dum nil fata mouent, tranquillo, immotus & ipſe,
Anticipat viſu: rapido ne dêinde ſub ictu
Iam poſitus grauiora eadem maioraque veris
Concipiat, tenuem culmi Cerealis ariſtam
Inſtar Achilleæ pinùs, inſtarque tridentis
Æquorei trepidans: falſus ſibi qualia fingit
Plurima, quem ſeros piguit prænoſcere caſus.
Nempe hic, præcipiti ſubitò erumpente procellâ,
Attonitus, vecors (cæci natura pauoris
Semper vt acclinis peioribus, inque tumultu
Non ſatis ambiguo ſibi mens improuida conſtat)
Quæ capiti prona incumbunt, diſcrimina peiùs
Iam metuit multò, & vanis terroribus auget.

44. Pluribus hinc adeo vulgaria pectora cernas
Euentis trepidare, hilarem quæ cognita riſum
Elicerent. Talis iocus ille, exterrita quondam
Regalis cruciaſſe epuli quo gaudia fertur (a)
(Vſque

(a) *Vide Lamprid. in Vita Heliogab. quem vltimum dicit Antoninorum Cæſarum fuiſſe.*

(Vſque adeo infandis iocus eſt ſæuire tyrannis)
Antoninorum poſtremus in ordine Cæſar.
Nempe hilari dum feſta natant conuiuia luxu:
Mollibus in ſertis, nardique liquoribus omnis
Dum coma: certanteſque hinc Ars, hinc Copia Mundi
Vectigalis opes, elementorumque coactas
Vndique delicias menſis inferre laborant;
Ecce per aduerſas media in triclinia portas
Horribiles pardi, formidandique leones
Irrupere. Metus foribus ſimul irruit amens,
Et tremor, & gelidus circùm præcordia torpor.
Verſa loci facies: fit mortis arena, theatrum
Lætitiæ: attonitis labuntur pocula dextris,
Immotæque rigent fauces. Saturanda Ferarum
Ingluuies, rapidum funus, viuentia buſta
Ante oculos: nuſquam effugium: ſubijſſe recentes
Conuiuas, aliamque famem: ſe pabula: iamque
Armenijs laceros conuelli dentibus artus,
Iam Libycos hærere putant ceruicibus vngues.
Heu trepidæ fruſtra mentes, ignaraque Veri
Pectora! Cum vulſis à ſtirpe molaribus armis
Dedocti ſæuire, emollitique reſectis
Vnguibus, innocuas iras pardique, leoneſque
Adueherent, ſolo fremitu, rictuque minaci
Terribiles laruæ, & vani ſimulacra furoris.

45. Hac etiam Veri ignarâ e caligine cæcus
Non ſemel ille oritur terròr, quem priſca Vetuſtas
Panicon authoris Panos de nomine dixit,
Attonitas vrbes, vulgique trementia corda
Sæpe repentinis rumoribus externantem.
Qualis in armiferâ Rheni ſtatione Quiritûm
Implicuit turmas, vinclis cum fortè ſolutis, (a)
Bellicus effuſo præter tentoria curſu
Diffugeret ſonipes. Rumor nam diditur, hoſtem
Arminium caſtris irrumpere. Cuncta pauore
Ilicet inſano turbata euerſaque: Nulli

Vis,

(a) *Tacit. lib. 1. Annal. cap. 66.*

Digitized by Google

Vis, animus, ratio conſiſtere : fit fuga : portis
Agmina denſantur ; ſocijs terroribus addit
Quiſque ſuos : ſuus, & coniunctim publicus omnes
Præcipitat furor : impulſi, vrgenteſque viciſſim
Immani cumulo exuperant, ipſiſque refringunt
Pectoribus vallum. Vis nulla inhibere ruentes :
Nequicquam reuocant, nequicquam iurgia miſcent
Imperiis, monitiſque duces : Vbi priſtinus ardor ?
Vrbis vbi inuictæ decus, & Mauortia virtus ?
En fortes animas, Gradiuigenæque Quirini
Iurandam ſobolem, pugnæ quos rumor inanis
Perculerit. Nam quem fugiant? Cui caſtra relinquant?
Nullum ponè ſequi, procul hoſtes, omnia tuta :
Reſpicerent tantùm. Vix ipſo in limine portæ
Ante pedes proiectus humi Legatus, & ora,
Oraque, pectoraque obijciens calcanda, pudore
Continuit trepidos. Tantum formidinis addit,
Non explorata, & perſpecta fideliter eſſe,
Occurrunt ſubiti quæ fors diſcrimina casùs.
46. Nec minùs id cauſæ validũ: quòd, tota repente
Aggrediens, multò vehementiùs extima quæque
Vis agitat, ſummæ quàm ſi libamina quædam
Sæuitiæ iubeat præcedere, paruaque primò
Ad plenum modicis tandem proceſſibus auctum
Venerit. Hinc recto naturæ maximus Author
Fœdere conſtituit, ne frigida protinus ardens
Sirius exciperet, vel poſt ſe duceret aſtra.
Rite ſciens, quam perniciem violentior ille,
Et totus ſimul à ſummo ſeu tranſitus æſtu
In brumale gelu, ſeu cano à frigore ſiccas
Menſis in Icarij flammas Viuentibus ægris
Adueheret : iuſſitque ideo per Veris amicas,
Autumnique vices lento manſueſcere tractu
Oppoſitas tempeſtates : vt mollior anni
Temperies medij mortalia corpora ſenſim,
Progreſſu tacito, & fallentibus incrementis,
Tutiùs extrema ad contraria duceret. Almus

Iam

Iam velut autumni tepor, & clementia Veris
Corpora; ſic animos abſentùm cura Malorum
Præparat, exiguo felicia tempora iam nunc
Alterius quaſi permiſcens diſcrimine ſortis:
Quæ niſi parte ſui mediâ, lentoque ſubiret
Sic præuiſa gradu; nulli non cernere promptum eſt,
Quàm premeret miſeras grauiori pondere mentes.

47. Præterea, veluti, dum crebriùs aſpera verſat,
Calloſam longo paulatim contrahit vſu
Duritiem cutis, infeſtos quæ reſpuat ictus:
Vtque ferunt hauſto Mithridatem ſæpe veneno (a)
Profeciſſe, ſibi ne toxica dira nocerent;
Horrida ſic animus crebro ſpectacula viſu
Dum repetit, poſitâ ſenſim formidine, nullas
Iam meminit ſpecies horreſcere: triſtia contra
Ducit & ipſe ſuum longo ſic tempore callum.
Nemo minùs rerum metuens, ac plurima quondam
Qui timuit. Viden, vt, ſæuum cum buccina ſignum
Edidit, & geminas aduerſis frontibus infert
Mars acies; pugnæ imprudens vix arma tremente
Suſtineat dextrâ tyrunculus, oraque mutet
Exangui pallore, & totos horreat artus?
At non ille vetus duri Mauortis alumnus,
In capulo cui trita manus, ſeu pectora talis,
Seu faciem. Vegeti vultus, immotaque corda,
Et ſerum pugnare. Dies ſuus ille: ſuumque
Se duci putat ad ludum. Nil dira tonantûm
Fulgura tormentorum, & ferri plurimus imber,
Nil variæ cædes, altoque in ſanguine miſti
Quadrupedesque, virique nouum, lugubre, timendum
Obijciunt. Satis hæc olim metuiſſe: ſuiſmet
Viribus edomuit ſeſe timor, ipſaque demum,
Quæ pridem fregere animos, diſcrimina firmant.

48. Poſtremò, cui bella diu præcognita, nunquam
Huic locus, armorum auxilijs opibusque parandis,
Defuerit: quæ fòrs oblitum, Epicure, fefellit
Te

(a) *Mart. ep. 77. lib. 5. Vide & Plin. lib. 25. Hiſt. Nat. cap. 2.*

Digitized by Google

Te ratio, procul à ſtudio ſenſuque Futuri
Dum reuocas animos, doleant ne longiùs, & ne
Sepoſitos miſerâ anticipent formidine luctus.
Haud dubium, ſi quis longè impendentia fata,
Attonitus, denſâ offuſi ſub nube pauoris,
Proſpiciat: neque ſeu veras dignoſcat ab vmbris
Futilibus ſpecies; valido ſeu pectoris arcem
Præuiſos contra inſultus munimine firmet:
Sed, quæcunque Malorum abſens Fortuna minatur,
In maius ferat, & viſu diſcriminis ipſo
Debellatus, inermis, humi procumbat; iniquæ
Nullum ſortis erit tam deſes cura leuamen:
Quin noua fortuito adijciet momenta dolori,
Æternisque pauentem animum cruciatibus vret.
Quam nos propterea (Superi conata ſecundent)
Hellebori Aonij ſuccis, & Apolline toto
Funditus aggreſſi importunam excindere peſtem.
At ſi, terrificos longo procul ordine caſus,
Incertique vices vbi mens proſpexerit æui;
Fortibus extemplo monitis ad triſtia quæque
Se paret: exquirens, qua demum leniùs arte
Exilium, morbos, fallacis crimina fundi,
Hoſtiles auſus, damnoſa incendia, letho
Præreptam ſobolem, tumulatas æquore merces,
Cæteraque excipiat fatorum Aduerſa; malignas
Quis neget hinc minui potiùs, quàm gliſcere curas?
49. Nō negat Argolicæ Philopœmen, vltima dictus
Gloria militiæ, quem, ſi quæ cauſa iuberet (a)
Longinquos tentare ignota per æquora curſus;
Ancipitum quoſcunque habitus formasque locorum
Conſuèuiſſe acri, memorant, percurrere viſu: (b)
Tum ſecum: Quid, ſi ſalebroſo hoc limite turmas
Ducenti ſubitus ſe circumfuderit hoſtis?
Illius egreſſus, quid, ſi faucesque recuruæ
Obſideat vallis? Fac, deijciendus ab illo
Aggere ſit: campo, fac, diſponenda repente

Hoc

(a) *Vide Plut. in eius Vita.* (b) *Liu. lib.* 35.

Hoc acies. Quinam caſtris æquiſſimus inter
Hæc Abrupta locus? Quo tutior ordine præter
Inſidijs natum nemus hoc fallacibus irem?
Has igitur crebro ſecum meditamine curas
Ille mouens, tantum ductandi ceperat vſum
Agminis, ad belli tantùm profecerat artes;
Semper vt in dubios certiſſima pectora ferret
Euentus: neque conſilij præſentis egenum
Hoſtilis fraus vlla Virum deprenderet, vlla
Sterneret obiecti facies inopina pericli.
50. Magnanimi præclara ducis quę exẽpla tot inter
Aſſiduos vitæ & nobis imitanda labores:
Si modò par animis præſumere robur, iniquas
Fortunæque iuuat ſolidâ vi frangere vires.
Siue igitur peregrè errandum; ſeu cura labantem
Coniugio fulcire domum; ſeu Principis aures
Aggredimur votis; aliud pro tempore quidquam
Seu placuit tentare operis; ne credula pronos
Mens adeo rerum curſus, ventoſque ferentes
Præcipiat; quin multa ſimul diuerſa, ſuiſque
Poſſe ſciat ſubitò minùs æqua occurrere Cœptis.
Nempe, puta, crurifragium, medioſque latrones
Longinquum per iter, moroſæ iurgia Nuptæ
In thalamo, duras votis à rege repulſas,
Et quæ plura, nigro verſatis pollice Fuſis,
Immites homini nent infortunia Parcæ.
Singula tum contra Sophiæ præſtantibus armis
Cingendum, & valido Rationis robore pectus:
Vt neque iam velis adſpirans æquior aura
Plùs nimiò abripiat, fatorum inopina cauentes;
Aſperior nec mergat, ad omnia rite paratos.
51. Multa quidẽ Veterũ poſſem documẽta referre,
Vnde hæc in dubios animi conſtantia caſus
Proueniat. Longum ſed iter: Phœboque recenti
Curſus eget. Feſſis nunc reſpirare Camœnis,
Perque tot exhauſtos dudum ſalebroſa viarum
Soluere ab emerito liceat temone Iugales.

EVTHY-

EVTHYMIÆ

Liber Tertius.

1 Pergite, magnanimis dum non inuitus Apollo
Pandit iter Cœptis, Sophiæ Verique beatos
Humanum genus ad fontes deducere, Muſę.
Hic dignus vobis labor, hęc pulcherrima ve-
Primaque lex operis. Semperne immitia bella, (ſtri,
Et piceo ſaturi Phlegetonte Cupidinis ignes
Carmen erunt? Viduas platanos, laurosque comantes,
Et Paphias tantùm myrtos Heliconia gignent
Culmina? Lethiferis nusquam panacea venenis
Auxilium? Nusquam Fortunæ vulnera præſens
Dictamnus lenire, melampodiumque, pyrethrumque,
Et maluæ, & tamarix, Ææaque pharmaca contra
Moly laborifero fidum tutamen Vlyſſi, (*a*)
Aut aliæ, infeſtis faciles occurrere morbis,
Pæoniæ frondes? Heu quàm lacrymabile veſtro
Impoſuit decori vulnus, qui mollibus aures
Delinire ſonis, totum finemque modumque
Artis Apollineæ ſtatuit: nullumque, ſalubri
Admiſſo Sophiæ medicamine, Pierium mel
Dulce putans, cum Pindo & Hyanteâ Aganippe
Cecropij abrupit fœdus ſociale Lycei?
Hinc leuibus demptus ſtudijs honor: hinc Sapientûm
Vocibus acta rea, & turpi damnata Poeſis
Exilio: neque muſarum Phœbique ſacerdos
Iam pluris, fatuæ quàm qui iocularia turbæ
Vendit Agonalis rhapſodus in æquore circi.
Vnicus amborum quando labor, otia vano

Fallere

(a) *Homer. Odyſ. lib. 10.*

Fallere deſidiæ cultu, nugisque canoris
Vecordes animos ſtolidi oblectare popelli.
Per me equidem non hæc vobis infamia, Diuæ,
Hæſerit, Aonides, neque magno inuenta Platoni
Abnuerit te, Phœbe, ſuum Respublica ciuem.
Ingenij ſteriles luſus, & ficta laborent,
Mille per ambages rerum nexusque decoros,
Compoſuiſſe Alij miracula: plurimus, Euge,
Admirans, bellèque, puer quibus accinat, & quæ
Attonito relegat vultu, moduletur, anhelet.
Scilicet hæc tantis merces ſudoribus æqua?
Hoc pretium, vigiles mediâ cur nocte lucernas
Quis bibat, & viuos iratis morſibus vngues
Vellicet? Ignaui, aurarum ludibria, cantus,
Deliciæque leues, & inania ſerta valete.
Me iuuat humani cordis lenire dolores,
Dulcis ad EVTHYMIÆ ſedes, atque aurea templa
Prælucere facem Mortalibus, inque peditos
Virgultis, ſalebrisque, & tortilibus labyrinthis,
Quà liceat, vitæ calles aperire beatæ.
Non ſecus, ac, ſuperi quondam per inania Mundi
Errantem procul, & naturæ arcana mouentem,
Primus ab immensâ longarum ambage viarum
Sophroniſciades mediæ in commercia vitæ (a)
Deduxit Sophiam, propioraque dicere tandem,
Et magis humanas ad res facientia iuſſit:
Ingenium formamque Boni: quis corporis vſus:
Vnde animus felix: ratio naturaque fines
Quos ſtatuant: tenebris qua ſe mortalibus arte
Eripiens, ſuperi ſynceros luminis hauſtus
Mens trahat, & patrio iam nunc aſſueſcat olympo.

2. Quas igitur Fortuna hilaris ſpes ſuſcitat, & quos
Longè infeſta metus ægris auellere fibris
Hactenus experto, ſupereſt mæroris iniqui
Vulnera iam fouiſſe, & queis felicibus armis

(a) *Cic. pr. Academ. Quaſt. & 5. Tuſcul. & Laert. in Vita Socratis.*

Strenua ſe medio tegat in certamine virtus,
Pandere: collatis quoties Mars vndique ſignis
Incubuit, volitantque hoſtilia ſpicula circùm,
Et varij luctus, & plurima mortis imago.
Magnæ molis opus. Fortem nam fingere, belli
Dum tantùm timor, & vulgus fòrs audeat, immo
Plùs vulgus, quem ſola mouent præſentia, quique
Vix hebetes animi ſenſus trans obuia mittit.
Aſt, vbi conſertus pede pes, totâque furit vi
Iam præſens Gradiuus; inexpugnabile robur,
Immotum placidæ frontis ſeruare tenorem,
Non niſi paucorum decus eſt, quos plebis aceruo
Sepoſuit, quibus & triplici Sapientia maior
Ætherei nexu chalybis præcordia vinxit.
Sic olim, Idei repetens cum nobile furtum
Hoſpitis vltrices paſſim iuraret in iras
Græcia; Dardanidæ, tutò inter pocula fortes,
Abſentem verbis impunè ferocibus hoſtem
Vincebant, nemo non Hectore promptior, arma
Nemo piger fremuiſſe, tubasque inflare loquendo.
Actum de Danais: Iuuenum quot pectora; ahenas
Tot Patriæ turres, tot poſſes dicere Martes.
Hic ſibi de geminis pæana canebat Atridis:
Hic Telamoniadem, ſeptenis rapta iuuencis
Tergora ferrato nequicquam vmbone mouentem,
Strauerat: Ille Thetin lugubria ferre iubebat.
At poſtquam medium nusquam mare: Gręcia poſtquā
Ante oculos: hinc Myrmidones; hinc fortia bello
Argiuûm, ac Dolopum Phœbeis agmina muris
Succeſſere: rotasque cruento in puluere flexit
Cuſpide Peliacâ agnoſci manifeſtus Achilles;
Tunc nimij flatus cecidere, & grandia verba:
Tunc patuit virtus, patuit ſocordia: viſus
Tunc Paris eſt Paris, & magnus ſe protulit Hector.

3. Ergo, vbi fatorum non euitabile numen,
Infeſtique premunt caſus: ſeu turpis egeſtas
Sordibus æternis inopem ſqualeſcere cogit;

Seu

Seu pubeſcentes in patris gaudia Natos
Ferrea præcipiti demerſit funere Clotho;
Seu quouis demum mens vulnere læſa; cauendus
Illorum venit ante alios miſerabilis error,
Pectora qui penitùs mærori tradere gaudent,
Inuoluuntque ſuis totos ſe luctibus: &, cum
Rebus ab aduerſis animum ad meliora referre,
Solarique ægros liceat ratione dolores;
Quælibet infeſti auxilia auertuntur, amantque
Non alijs tantùm, ſed vel ſibi poſſe videri
Plùs miſeri: fidusque adeo ſi fortè ſodalis
Extenuet blandis lugentûm vulnera dictis;
Ilicet irati obſiſtunt, ſortemque malignam,
Tanquam aras patriosque focos, defendere certant:
Maxima ceu cladis ſit portio, clade putentur
Si preſſi leuiore. Tuis heu cæca fauere
Mens Hominũ lacrymis! Quæ non in deuia præceps
Volueris, errantem Ratio ni fida gubernet?
Si Mala, quæ luges, ingrata; quid illa tueri
Vſque iuuat? Si grata; piget cur ferre? Fatendum
Ocyùs alterutrum: vel mitia carpis iniquè;
Vel grauibus ſtulto indulgens blandiris amore.

4. Hæc igitur miſeræ ſortis ſeu cæca voluptas,
Seu leuis ambitio procul ableganda, magisque
Conſilij toto pugnandum eſt robore, luctum
Vt ſibi mens minuat, ſe ſeque reducat ab illo,
Vndique certa ſui conquirens pharmaca morbi.
Sic opifex docuit gaudendi Epicurus, & idem
His primum inſtituit ſe legibus. Vltima teſtis, (a)
Dilecto comiti quam ſcripſit, epiſtola. Nempe
Lethiferis illic morbi ſuprema minantis
Vrgeri miſeros immanè doloribus artus
Nunciat: at ſolos artus: conſiſtere mentem
Vim ſupra ſenſumque Mali: quòd ſcilicet ipſe
Auocet hanc aliò prudens: interque ruinas
Membrorum, vacuasque colos, & acerba propinquæ

(a) *Laert. in Vita Epicur.*

Iura necis, releuet ſeſe, memoranda volutans,
Quæ vulgo ediderat, ſtudiorum Inuenta ſuorum.
5. Nec verò non prompta ſalus: non plurima certũ
Vulneribus, quæ ſint, & quanta ea cunque, leuamen
Suppeditat ratio. An talis non illa, receptus
Communis primam vitæ quam ſuggerit vſus?
Si tibi nil, quouis durarum in cardine rerum,
Eueniſſe noui reputes: ſic publica volui
Tempora, ſic hominum decurrere fata: ſub ipſo
Ilicet hanc cunctis legem viuentibus ortu
Propoſitam, vt, varius quæcunque volubilis æui
Fert color, haud aliena ſibi diſcrimina norint?
Nemo, vbi ſupremum iam voluit Aquarius annum,
Ignauo gelidas conſtringi frigore venas
Miratur, rapido vel rurſus ab igne reſolui,
Lucida cum Phaeton Nemeæi terga leonis
Inſiliens geminis cælum feruoribus vrit.
Nempe quòd hunc illis innatum menſibus vſque
Scimus, & æterno ſancitum fœdere morem.
At neque naturæ ſtabili minùs ordine fixum,
Perpetuumque homini eſt, ferat vt communia fata,
Et ſortis quaſcunque vices, rerumque labores.
Cur igitur, ſi deinde repens quis talia caſus
Attulit; iratus querulis clamoribus aſtra
Conueniat, ceu mira, ſibique indebita, præter
Naturæ morem, & fas omne, incommoda paſſus?
6. Heu grauibus curis, longiſque laboribus empta
Res perijt. Quid? Te pennas vulſiſſe fugaci,
In noua ne porro tranſiret iura, putaſti?
Non alias, aliaſque, tuam quàm viſeret ante,
Mutarat peregrina domos? Cur certior vni?
Cur tibi, quàm Dominis plûs fida prioribus eſſet?
Sortis id ingenium certè, ſua ſemper in orbem
Huc modò conuertens, iamque illò vt munera, Nulli
Perpetuam ſtabili addicat ſe fœdere. Ritu
Auſpicijſque tuis ſi fas tibi ducere vitam;
Quin patiare ſuis illam quoque moribus vti?

At

At geminos etiam, vix pubeſcentibus annis,
Inuida præripuit, noſtræ ſuprema ſenectæ
Qui requies, fuerantque domûs ſpes vnica, Natos.
Et nunc heu patrios, cinis immaturus, amores,
Venturumque ſimul genus, & promiſſa nepotum
Gaudia crudeles ſecum rapuere ſub vmbras:
Nec mihi ſeu vitæ columen, ſeu funeris hæres.
Canitiem auxilijs orbam, nomenque parentis
Funditus elatum miſeror. Sed, num noua ludi
Hæc miſeri facies? An non, vel prolis acerbos
Ante obitus, vitâ poteras didiciſſe magiſtrâ,
Natorum quæ conditio: qua lege parenti
Obueniant: quàm prona rapi, quàm labilis ætas
In tumulum, vanâ ſomni fallacior vmbrâ,
Mobilior folio, rapidoque fugacior Euro?
Hæc adeo ſi nota vnus neſciſſe fateris;
Viuendi næ tu nimiùm peregrinus & hoſpes.
At, ſi certa ſedent olim; perſtringis iniquo
Communes Parcas, immotaque fœdera queſtu.
En age, noctifero ſi quiſquam veſpere, pronum
Herculeas mergi aſpiciens Titana ſub vndas,
Indignum, nullâque nefas ratione ferendum,
Clamaret: Mundique vicem commotus, auaræ
Iurgia Naturæ tanti pro crimine furti
Diceret, immitem vocitans e matre nouercam;
Non illum capitis vacuum, & ſine corde putares?
Quid? Si, nimbiſonæ per inertia tempora brumæ,
Lugeat exutos hic idem floribus hortos:
Nec ſecus, immani quàm vulnere fixus, Iniquis
Heu me progenitum auſpicijs, & Numine læuo!
Ingemat. Vt ſemper noſtris illudere gaudet
Votis inuida ſors? Vt triſtia quæque malignis
In caput hoc radijs collimant ſydera? Dulce
En decus hortorum, pictique ſuperbia Veris,
Per ſua deiecti folijs marcentibus arua,
Interiere, omni fruſtra quos ſedulus arte
Nutrieram, flores: liquidam de fonte propinquo

Ipſe quibus vitam gaudebam affundere: templis
Vnde honor, vnde mihi toties redolentia ſerta.
Proh crudelis hyems! Proh barbara! Nil adeo te
Pulchra mouent? Teneræ nil contigit illius ergo
Pubis amor? Tam formoſos excindere fœtus
Immites potuere manus? Quonam tua ferro,
Aut adamante rigent præcordia? Talia ſi quis,
Ploratu ſe triſti, & flebilibus lamentis
Conficiens, rigidæ ingeminet conuicia brumæ,
Nec laniare genas, paſſos aut vellere crines
Temperet; Anticyram non ocyùs ire iubebis,
Quæſitum ſtolidæ purgamina mentis? Ineptas
Non riſu excipies lacrymas, annique niualis
Perpetuum hunc morem, certa hæc conſtare docebis
Tot ſæclis iam iura? Tuus dolor ille, receptas
Dum grauiùs vitæ leges, humanaque fata
Excipis: oſtenſâ ficti ſub imagine luctùs
Ipſe lates, moreſque tuos tibi fabula verax
Obtulit. Anticyram (quid ceſſas?) primus adito;
Quæque Alijs caneres, tibimet ſolatia ſumas:
Rite memor ſacramenti, in quod luminis oras
Protinus intrantem Natura & Numen adegit,
Vt, ſi dulce foret naſci, mortalia ferres.
Et veluti, ſi quando procul natalibus aruis
Externum te ducit iter; flagrantia ſolis
Spicula, pingue lutum, ventos, vim pulueris, imbres,
Fumoſæque olidum ſerâ de nocte tabernæ
Hoſpitium vacuo irarum fers pectore: tales
Quòd tibi nimirum caſus prædixeris, & quòd
Hæc peregrinarum appendix conſûeta viarum;
Haud ſecus in vitæ curſu, quæ triſtia cunque
Obtigerint ſubeunda, pari fer robore mentis:
Tale viæ genus hoc reputans, nec poſſe, per illam
Ingreſſos, alijs homines decurrere fatis.

7. Altera quin etiam primo hoc de fonte, leuandos
Ad luctus, medicina fluet: quòd, triſtia rerum
Fatali cum ſuſtineas ex lege; quibus te

Aduer-

Aduerſis inimica premit Sors caſibus, ijsdem
Et reliquum primo Mundi naſcentis ab æuo
Preſſit adhuc mortale genus, neque ſeciùs ijsdem
Vſque ſub extremos æui ſuperantia curſus
Sæcla premet. Solus communis in ordine vitæ
Exemplum ſi triſte fores; non prorſus egeret
Tunc veniâ causâque dolor: nunc lumina vaſtum,
Quà Phœbo ſub vtroque iacet, dimitte per Orbem:
Mentiar, innumeris ſi de Mortalibus vllum
Inuenias, liquido cæli quem munere veſci
Fata ſinant impunè. Grauis iam tempore longo
Incubat Huic, durisque premens complexibus angit
Pauperies: patrijs detruſus finibus Alter
Ignotos circùm fines miſerabile ducit
Exilium: plenas Natis exanguibus vrnas
Ille fouet gremio lacrymans: lethalibus æger
Hic podagræ, laterumque doloribus, inter acerbos
Corporis exhauſti morſus, ceſſantia fata
Increpat, & vixiſſe, miſer, quàm viuere mallet.
Quid tibi iam ſpecies alias, & nomina dicam?
Ictericos, elephantiacos, intercute lympha,
Igne laborantes ſacro, pleuritidis hauſtos
Enſe latus, durâ anginæ vi guttura preſſos:
Horrida tot lethi ſimulacra, tot vndique tetras
Morborum facies: numerum queis reddere ſi quis
Fors velit; Ionij fluctus velit æquoris idem
Percenſere, vel, extremo referente Nouembri
Intempeſtam hyemem, quàm multis, dicere, Pindi
Vmbriferum caput, Apenninigenasque caducis
Denudent folijs Borealia flamina quercus.

8. Hactenus at vulgi clades. Quid? Luctibus ijsdem
Aurea miſceri nunquam penetralia regum
Cernimus? Humanos ignorat purpura caſus?
Fortunæque ſuper nimbos humilesque procellas
Impauidam cælo attollunt diademata frontem?
Quin ſors imperij, quò celſiùs edita, lapſu
Hòc præceps grauiore ruit: maioraque quantò

Digitized by Google

In ſpatia immanem ſe porrigit; obuia tantò
Inſidijs, telisque magis. Non publica ſolùm
Fata hominum ſubeunda: (licet ſubeantur & illa)
Sed proprijs iactatur adhuc, vnique dolendis
Turbinibus. Iam finitimi molimina regis
Sollicitant, bellumque aduerſum, & fortior hoſtis;
Iam vulgi ſubitos renuentis fræna tumultus,
Et dubias tremit ancipiti ſub pectore fraudes.

9. Quæ quibus exẽpla anteferã? Diſcede Vetuſtas,
Cum Priamis, Crœſisque tuis. Quid ſyrmate nigro
Funeſtam Oedipodis, funeſtam Agamemnonis aulam
Obijcis? Haud noſtro infelix hæc gloria ſæclo,
Haud diræ genus hoc famæ non ſuppetit, Orbem
Poſſe ruinarum ingentûm terrore ſuperbo
Concutere, & plures ſcenis donare cothurnos.
Spargentem ſubitos auguſta per atria luctus,
Imaque mutantem ſummis, & fronte reuulſas,
Vixque adeo non cum trepidâ quoq; fronte coronas
Impoſito pede calcantem ſat vidimus Ipſi
Fortunam: ſunt & nobis feralia, Thebas
Quæ valeant, & quæ ſolari, exempla, Mycenas.
Teſtis, qui Geticum, ſubitus fragor, increpat axem,
Pulſaque terrifico Byzanti Regia motu.
Pangæas trepidare niues, Rhodopeaque ſaxa,
Et dubijs video nutantem rupibus Æmum.
Inſonuere poli: diroque à littore curſum
Territus in ſeſe reuocans, fugientibus vndis
Vix non oppoſitam texit Chalcedona pontus.
Nec mirum. Odryſius, tot quondam gentibus, & tot
Imperijs, regnisque caput ſublime, tyrannus,
Nubifero immanis ſolij de culmine, centum
Per medios, centumque gradus, quos altiùs, atque
Altiùs extantûm feries cumularat honorum,
Præcipitem duxit fato impellente ruinam.
Qualis, Peliaco extructam cum vertice molem
Ingentisque Oſſæ, atque Oſſam calcantis Olympi
Iratus triſido diſiecit Iuppiter igni;

Pro-

Digitized by Google

Proxima nequicquam trepidanti apprendere niſu
Sydera, Taygeten, vel Parrhaſiam Cynoſuram
Conatus, liquidum retro per Inane, Parentis
Attonitæ in gremium, verſa ceruice, Typhoêus
Corruit, & vaſto tremefecit pondere Mundum.
Quàm diſpar facies? Primum qui nuper habenis
Flectebat, mediumque diem: quem mille phalangas,
Mille ſagittiferos rapientem in bella maniplos
Horruerat, tantis impar prope viribus, Orbis;
Exutus tumidam rapto diademate frontem,
Victus, inops, ſceptro, libertatique ſuperſtes
(At tu iuſtitiam coleres, inuictaque magni
Fœdere ne rupto tentaſſes Cæſaris arma,
Perfide regnorum latro) ſeruilia mordet,
Pars populi, iam fræna: anguſto & carcere clauſus,
Carnificis dextram, laqueique ignobile fatum
(En regni pretium) iugulo impendere tremiſcit.

10\. Atq;vtinam meritos tantùm ſors illa tyrannos
Plecteret, indigni neque triſtius Anglia fati
Obijceret documentum. Heu qui te verbere ſurdo
Eumenidum colubri, Cælo fidiſſima quondam
Inſula, nunc regi iuxta, Cæloque rebellis,
Ad Tameſis ripam Geticos transferre furores,
Lymphatam pepulere? Axis quònam ille Britanni
Sol abijt, tanto Cæleſtûm munere feſſis
Donatus populis Princeps, quo ſceptra tenente
Decolor antiquum reuocari cœperat ætas
In pretium? Iacobus vbi, tua gloria, certum,
Iacobus, patrij columen, tutelaque Mundi?
Illudne auguſtum caput, illam pondere quovis
Curarum maiorem, & natam ad publica mentem
Commoda ciuili rabie, & popularibus auſis
Imperio extrudi potuiſſe? En perfidus, en quò
Præcipitet mentes furor, atque in viſcera lapſum
(Ah Stygiam peſtem! Ah Lernam eluuiemq;Malorũ!)
Hæreſis infandum virus. Pulſum ilicet omne
Fas animis: nihil integri ſub pectore ſenſûs:

Nuſquam dedecoris pudor, aut reuerentia famæ :
Sed furiæ, indomitumque nefas, exutaque frænos,
Ac ſceleris mens tota ſui. Communia nempe
Iura hominum violare, & pactum rumpere ſceptris
Obſequium metuant, qui, Relligionis auitæ
Fœdera nil veriti, & ſacros confundere ritus,
Ipſa etiam ſummi imperia excuſſere Tonantis ?
Iuratur facinus, dirum, inteſtabile, vecors,
Horrendum facinus, quod toto non pater aluêo
Effuſus Tameſis, non Naupactei Acheloi (a)
Flumina, non, quantus quantusque eſt, omnibus vndis
Expiet Oceanus. Stygio ſæuiſſima cornu
Dat dirum populis belli diſcordia ſignum :
Exarſere animi : cinctæ hinc ſerpentibus atris
Immanes Cromuelli vmbræ exitiale furoris
Cordibus inſpirant virus ; non ſegnior inde
Sanguinolentum aperit iugulum, pleniſq; Momuthus
Exceptum manibus, Neſſei peſte cruoris
Tetrius, effundit vulgi ſuper agmina tabum.
Perfida iamque odia, atque animi patuere rebelles,
Confeſſumque nefas. Sceptri ſpes nulla tuendi :
Vix fuga, vix tutò fas eſt ſua perdere regna.
Quis tibi tunc ſenſus, regum fortiſſime, iniquis
Cum populi furijs, & proditione Tuorum
Nil grauiùs Patriâ, regnoque horrere coactus,
Eſtenſem thalami ſociam, tam proxima cordi
Pignora, partem animi tantam, genitumque paterni
Nuper in imperij titulos, ſpem nominis vnam,
Et generis, Gnatum, cuius vagitibus Orbis
Lætus, Io, &, Io, lætus reſponderat æther,
Depoſitum pretioſum vndis pelagoque furenti
(Proh quantum fati ventorum e lance pependit !)
In quoſcunque dares caſus : telluris iniquæ
Mox rabidas hyemes, peioraque littora ponto
Effugiens, tumidi ipſe etiam per ſtagna Profundi,
Auguſtus ſequerere, vndis miſerantibus, Exul ?

Nil

(a) *Vide Ouid. lib. 2. Faſt. ſub initium.*

Nil tamen hoſti actum : pulſus fers omnia tecum :
Inſtabile externumque Bonum, Fortuna receſſit ;
Sed virtus, tua Summa, manet : quin nuda videri
Pulchrior eſt, meliùsque ſuos dat noſſe nitores,
Dum nihil extra ſe mirum ſpectantibus offert.
Heros dimidius ſub Regnatore latebas :
Nunc demum, qui ſis, quantus ſis, perſpicit Orbis.
Eiectum per vim ſolio quis credat auito?
Deſerti potiùs, condemnatique vocentur,
Qui talem ſolio pepulere. Haud Principis iſtud,
Exilium populi eſt. Quævis tu littora luſtres,
Orbe tuo, ceu Sol, ſemper conuerteris : ille
Cum Patriâ, atque ipsâ, probro pœnæque relictus,
Exulat in Patriâ. Vis vltima quæque minari
Sontibus? Haud vltra rediturum in regna mineris.
Sed redeas potiùs. Sæui iam pœnitet Auſi
Perfidiam : inſanos iam damnat & ipſa furores :
Iacobo nec regna, ereptum ſed mage regnis
Iacobum, oppoſitas ſortes, alternaque fata
Iudicij vero librans examine, diſcit.
Vosque adeo, o Superi, (trepidis ſat cognita Virtus
Caſibus aduerſa euicit, meruitque ſecunda)
Magnanimum Heroem, & plùs viſum rege, paternis
Dum caruit regnis, natiuæ reddite ſorti.
Ceu Volucrum regem, & ſolis phœnica Volucrem
Non perimit, renouat fœcundæ mortis imago;
Sic regum phœnix fortunæ à funere, ſolis,
Æterni abſumpſit ſolis quam feruidus ardor,
Altera iam ducat rediuiuæ exordia lucis,
Inque Caledoniâ regnet feliciùs aulâ.
Euenient. Verùm hæc Alijs, queis liber Apollo,
Altiùs & plectri ſonitu maiore canenda.
Sat mihi, communis fati ad ſolatia, duros
Sceptrorum caſus, inflictaque vulnera ſummis
Frontibus Æſchyleo cantu retuliſſe, nec ipſas
Immunes rapidis fortunæ à motibus aulas. (pers,
11. Quidnã igitur? Proprij nemo cũ ponderis ex-

Nemo ſuas Cæli pro reſpirabilis vſu
Non lacrymas ſoluat; communia fallere ſolus
Iura velis, duriſque nihil dependere Parcis?
Hoccine Mortalem fas poſcere? Voluitur omne
Fluctibus aſſiduis ſocium genus: & tibi luges
Non parci? Querulis & vocibus aſtra fatigas,
Quòd non excipiant te de tot millibus vnum?
Dic, vbi frons tua? Quò ſenſus, ratioque receſſit?

12. His adeo monitis Darij regis, ademptam
Vxorem, viduoſque toros ſine fine dolentis,
Saucia Democritus præcordia lenijt. Ægri (a)
Scilicet auguſtum ſubiens penetrale tyranni,
Deſine perpetuis, Rex, deſine fletibus, inquit.
Namque ego dilectam (licet irremeabilis Orci
Lurida fatali ſtagna exuperauerit alno)
Vxorem liquidas cæli reuocare ſub oras,
Iniuſtamque nigro raptori auertere prædam
Spondeo. Nec nimio munus tam nobile ſumptu
Poſcit emi: gelido tria tantùm nomina buſto
Incidiſſe hominum liceat, queis tota ſecundo
Tramite inoffenſi ſeries defluxerit æui;
Dulcibus extemplo Superis, & reddita luci
Ibit in amplexus cupidi Regina mariti.
Tu Famulos (promiſſa mouent ſi gaudia) regni
Quaslibet actutum patrij dimitte per oras:
Felicem inueniant numerum, & ſignanda reportent
Nomina. Prona fides dictis. Immenſa cupido
Quid ſperare neget? Lecti, mora nulla, Miniſtri
Oppida, tecta, agros, nota, atque ignota locorum
Circumeunt, vigilique explorant omnia curâ.
Nequicquam: vacuus labor omnis, & irrita cura.
Ergo iter ad Dominum relegunt, triademque beatam
Ilicet à foribus primoque in limine iuſſi
Reddere, per ſacros ignes æternaque Mithræ
Numina, (relligio Perſis quæ maxima) nullos,
Humani cultùs regio quà conſcia, iurant,

Non

(a) *Iulian. Cæſar ep. 37. ad Amer.*

Digitized by Google

Non obitos, non excuſſos ſibi rite Penates.
Vana tamen ſtudia, irriſos cecidiſſe viarum,
Atq; operum ſumptus: nullo ſub ſydere quemquam,
Candida perpetuò vitæ cui Summa, repertum
Terrigenam. Capto Sapiens tum tempore, Iamne
Ergo vides, inquit, Regnantûm maxime, cunctis
Hanc adeo legem poſitam Mortalibus, vnus
Quiſque volens, nolenſque ſuos pro parte virili
Vt ſubeat caſus? Quocirca, te quoque Diuûm
Numina dum fragili voluerunt ſemine naſci;
Ne tumidus nimiùm, videſis, habeare, tuique
Oblitus generis, communia pendere vitæ
Abnueris ſolus ſi vectigalia, teque
Fata hominum indignere hominem promiſcua ferre.
13. Nec mihi ſe plures quiſquam vidiſſe reponat,
Inſcribi tumulo qui Regnatricis Eoæ,
Fruſtrarique ſagax Graij Sapientis acumen,
Fortuito læſi nunquam diſcrimine, poſſent.
Eſto, aliquem genus id liceat producere; quid tum?
Exempla hunc inter cenſebis, an inter habendum
Prodigia, Hetruſcis olim luſtrata libellis,
Degeneres vtero fœtus, matrique timendos,
Sanguineoſque imbres, pecudeſque humana locutas,
Et gemino de ſole diem, dubitantibus aſtris
Hinc, illumne patris dignentur honore? Sed ipſos
Hos tamen, humanæ quos ceu miracula ſortis
Ignari colimus, quàm multis longior ætas
Caſibus obijciet? Liceat modò viuere; quanto
Reflantûm miſeros ventorum turbine volui
Aſpicies? Quæ venturis ſpectacula ſcenis,
Materiem tragico quantam debere cothurno?
Et tibi læta diu fòrs illibataque primæ
Fluxerat ætatis ſeries: fòrs & tibi plures
Inuidere, rotæ volucris de culmine qui nunc
Præcipitem ſenſu partim miſerantur amico;
Partim etiam faſtu gaudent calcare proteruo.
Vidi ego, quæ, cæli toties ſecura, mariſque,

Natii-

Naufragas Libyæ ſyrtes, Ægæaque ſaxa,
Et Siculos velis impunè audacibus æſtus
Luſerat, æquorei ſupremo in limite curſus,
Littora dum nautæ iamiam ſubeunda ſalutant,
Sertaque feſtiuæ imponunt victricia puppi;
Cautibus illiſam cæcis perijſſe carinam. (a)
Nil certum ſatis: ambigui periura fauoris,
Vſque ſub emeritam multos Fortuna ſenectam
Amplexu toto fouet, immenſisque ſaginat
Muneribus, titulos, & honorum inſignia circùm
Accumulans: quò nempe ſuas (is denique finis)
Rite coronato ducti mox vertice ad aras,
Splendidior ſæuis procumbant hoſtia Sacris.

14. Conſule Romulidûm faſtos. Non littore talis
Victima Niliaco Magnus? Non curia tali
Victorem obſtupuit Socerum procumbere pompâ?
Ille triumphati Dictator maximus Orbis,
Bellorum, pacisque potens, lex vnica legum,
Vnicus heroum phœnix, poſt addita Rheno
Vincula, poſt domitum Oceanũ, innumeramq; cruentis
Theſſaliæ in campis vno certamine meſſam
Palmarum ſegetem, vrbanæ (quis crederet?) ipſo
Pacis in amplexu. Sed cur notiſſima vulgo
Vlteriùs monumenta ſequor? Tu Græcia profer,
Tu potiùs Samij fatum lugubre tyranni. (b)
Vix hominum ſeſe Dea cæca benigniùs vlli
Credidit, admoto vix blandiùs vbere quemquam
Fouit. Iter pronum cœptis, ſpes nulla ſecundo
Fine carens, nullis longè ſua copia votis.
Ne multis morer; ipſum etiam faſtidia tandem
Mutati nunquam Superûm cepere fauoris:
Ipſum etiam faciles adeo per plana, ſine vllo
Obice, laſſarant curſus: iamque eſſe timori
Ille, nec immeritò, præter moremque, modumque
Cæpe-

(a) *Fingitur viſum, quod potuit contingere.*

(b) *Val. Max. lib. 6. cap. 11. & Herod. lib. 3. de Polycrate.*

Digitized by Google

Cœperat immotus fati tenor. Ergo ſeuerum
Sollicitus Nemeſis numen, Diuûmque piare
Inuidiam, cupiensque aliquo, inter proſpera rerum,
Quid dolor, explorare, & quid ſors altera, guſtu,
Auulſam digito, ſibi quæ cariſſima, gemmam
Æquoreas iecit, pretium mæroris, in vndas.
Sed vani iactus: neque ſic lugere, volenti,
Fas fuit. Oblati ſiquidem mox piſcis in aluo
Amiſſum reperit lapidem, gaudensque recepit.
Quænam igitur tam ſecuri meta vltima curſus?
Feralis crux nempe, in quam crudelibus actus
Idem odijs, variæ documentum flebile ſortis
Præbuit, & nullum duras euadere vitæ
Poſſe diu leges ſecurum hilaremque probauit.

15. Quid? Quod vim rigidę ſortis nō ſingula tātùm
Per capita, ablato cæcam diſcrimine, ferri;
Sed leuiùs tibi, quàm pleriſque, incumbere cernes.
Ecquid enim tam triſte ſubis, abſtergere fletus
Quin grauiora queant te circùm exempla? Reuolue
Sîs animo, quot nunc, inopes, diuturna maligno
Vix mendicatæ Cereris ieiunia fruſto
Solentur, Cereris, preſſo quam dente reſolui
Indocilem rigidâ conſpectam à Gorgone iures:
Nec laris exigui ſaltem ſit copia, ſæuas
Ad Boreæ, Caurique minas, ſed ſub Ioue nudo
Hybernas agitent, quà nox deprenderit, vmbras.
Effera quàm multos arthritis, & acriùs vrens
Calculus ad mortis ſpeciem, votumque fatigat?
Contemplator & Hos, piceâ, qui, nube ſepultis
Luminibus, toto proſcripti ſole dieque,
Nulla diu roſeæ delibant gaudia lucis.
An, rogo, non tali collatus cum grege, felix
Ex miſero poſſis, atque inuidioſus haberi?
Quod grauiùs, quàm mortali pro robore, fati
Incumbentis onus, nulloque Atlante ferendum
Ipſe vocas; tenuem non Illi ponderis vmbram,
Non lucrum, munusque ſuâ præ ſorte putarint?

His

16. His tua ſi ſapiens, alienaque pendere fata
Lancibus inſtituas; quàm tecum molliter actum
Protinus agnoſces: neque iam ſic nubilus iſtam,
Quæ vacuos humeros tenuis vix ſarcina tangit,
Obĳcies Superis, meritos quin gratus honores,
Pro maiore adeo ærumnarum parte remiſsâ
Exolues, qua preſſa virûm tot millia cernis:
Quæque, per humani generis communia iura,
Nil fuerat, cur, præterito te, iuſtiùs illis
Aſſignanda foret. Quòd ſi, poſt talia, fatis
Inuiſum te pergis, & vltima dicere paſſum;
Hac querulum iuſti ſcitâ ratione Solonis (a)
Compellare iuuat. Summus, fac, rector olympi
Omnia Mortales iubeat ſua pondera, queis nunc
Hi grauiùs, leuiùsque Alĳ torquentur, in vnum
Communem pariter cumulum deponere, & inde
Seu poſitam rurſus ſibi quemque aſſumere; iuſtam
Seu potiùs cunctos, nullo diſcrimine, partem.
Hæc ſi conditio detur; quæ mens tua? Faſcem
Num proprium retinere velis? An, fœdera legis
Alterius ſubiens, ex illo vnde vnde coacto,
Digeſtoque iterum totiùs ſortis aceruo
Ducere cum reliquis partem Mortalibus æquam?
Ni fallor, grauiùs multò noua ſarcina frontem
Tunc premeret: malleſque adeo præſentia ferre
Pondera, ceu melior fati, leuiùsque futurus
Sic miſer, æquales quàm ſi pro parte virili
Omnibus ærumnas communis diuideret ſors.
Quin Alios igitur, iuſtâ queis lance Malorum
Abnueres par eſſe, animo proponis, & inde
Opportuna refers duri ſolatia casûs?

17. Retuleris ſanè, Leporum ni amentior ipſo
Sis grege: cui certam lux hinc oblata ſalutem
Iamiam merſuri tulit ipſo in cardine lethi.
Scilicet hos quondam (Æſopo ſi credimus: & quis
Æſopo

(a) *Kal. Mag. lib. 7. cap. 2.*

Æſopo ambiguus cunctetur credere?) lucis
Inſanum vitæque odium, tot caſibus actos,
Obuia tot fata aſſiduo terrore pauentes,
Supremum properare diem, atque occurrere Parcis
Impulerat. Quid enim ſeſe ærumnoſius vnquam,
Quid magis exoſum Superis, grauioraque Titan
Viderit iratæ obiectum ad ludibria ſortis?
Queis nihil armorum: nullæ ægro in corpore vires,
Nuſquam animus præſens: ſed, ſi quæ, tota ſalutis
In pedibus ratio: bella hinc metuenda Ferarum;
Hinc hominum: trepidi ſemper ſub pectore motus:
Nilque parùm validum, ſeu frondea concitet Eurus
Murmura, ſeu viridis quaſſet dumeta lacertus,
Attonitas replere fugâ, & formidine mentes.
Nec piget obſtrictos tam duris legibus annos
Ducere? Funeſti valeat quin ætheris vſus.
Sat luci, lacrymiſque datum. Mors vna Malorum
Effugium. Moriamur, & vltro in fata ruamus.
Inſtar habet ſi vita necis; vitæ vltima finis
Ortus erit. Finire necem, haud perijſſe; renaſci eſt.
Hæc alij paſſim, ante alios hæc plurimus omnes
Taphrocharis (priſcum genus olli, & clara parentum
Nobilitas: ſed facundæ præſtantia linguæ
Plus proprij addiderat decoris) clamore diſerto
Ingeminans, vulgi ad proceres, vulgumque fremebat.
Triſtibus ergo acti ſtimulis, cæcoque furore
Præcipites mortem iurant: bacchatur in omni
Pectore mors: primus naſci, extremuſque perire
Lucis amor ceſſit. Stat, non poſcentibus vltro
Reddere depoſitum fatis: ſtat, quod ſuper æui
Parcarum net nigra manus, damnataque cæli
Munera proieciſſe, & nil crudelibus auris,
Nil vltra debere tibi, Natura. Paluſtri
Haud procul vmbroſam complêrat gurgite vallem
Stagnum abruptum, ingens. Liquidi rapit illa ſepulcri
Spes animos: aduerſa ruunt in fata, ſequentûm
Quo neq; vim fugerent, curſu. Hìc demergere vitam,

Et

Et vitæ miſeros vnà demergere caſus
Fas erit: hic portus curis, hæc meta laborum:
Salue optata palus. Sic illi, & triſte ſubibant
Jam littus, peritura cohors. Sed, parcere mitis,
Æquius ignaris, quàm, quod per fata vouerent,
Auxilij genus vnda tulit: vitamque relinquens,
Nil niſi ſollicitæ exhauſit faſtidia vitæ.
Voſque adeo, molli quas tunc herboſa fouebat
Ripa ſinu, taciti, ranæ, gens garrula ſtagni,
Dum, ſonitu impulſæ venientûm, corpora notas
Præcipiti hinc, illinc ſaltu vibratis in vndas;
Vos rabiem miſeris infixam, ægroſque dolores,
Ac lethi ſtimulos fluctu merſiſtis eodem.
Hoc ſatis, hæc Leporum gentem ſeruauit imago.
Mirantur, ſubitò refugas, ſeque eſſe timori,
Attolluntque animos. Iam non poſtrema videri
Sors ſua: quæſitæ iam deferueſcere ſæuus
Mortis amor: ſolùm iam deeſſe, atrocia primus
Qui reuocet Conſulta, & viuere ſuâdeat, author.
Quis fuit is? Cupido egregium da noſcere vati,
Calliope, Herois nomen: ſupereſſe nepotum
Da memori famæ ſeruatoremque parentemque
Auriti generis. Præſens tibi tota Vetuſtas:
Sæclorum nos impliciti caligine: & atram
Lethæa ante oculos glomerant obliuia nubem:
Ergo animi prudens, nec ſeu genitore Podauro,
Milophago ſeu fratre minor, dubia agmina ſpectans,
Rhinomacer placido ſic ore ſilentia rupit,
Sic ſociam diris pubem reuocauit ab orſis.
At quæ nos properæ necis importuna cupido
Sollicitat? Nempe imbelles Natura creauit.
En Alios, trepido quêis plus ſub corde pauoris,
Quêis minus attonito inſeruit ſub pectore cordis.
Cur ſortem damnare libet, quam ſuſpicit, & cui
Seſe humili genus hoc impar terrore fatetur?
Viuamus Lepores, audent ſi viuere ranæ.

18. Atquì maius adhuc, longèque potentius ægro
Auxi-

Auxilium fuerint Aliorum vulnera, ſi, quo
Illa ferant îjdem vultu, & quo pondere mentis,
Inſuper obſerues : tranquillâ vt fronte dolorem
Diſſimulent : vt, vel lapſi afflictique, prementem
Fortunam ſuper aſſurgant, fatique ruinas.
Talia, credo equidem, ſpectantem exempla pudebit
Immodico queſtu caſus vrgere minores :
Nimborumque minas inter cælique tumultus,
Innubes roſeâ pingi Thaumantide vultus
Poſſe ſcies, animumque ſuo radiare Sereno.
Nec tibi magnanimos heroas, & inclyta faſtis
Nomina, Anaxarchi letho inſuperabile pectus,
Creſcentemque animis rerum per damna Catonem
Obîjciam. Mediæ vel plebis in ordine, ſiccis
Luminibus multos ea paſſim fata ſubire
Aſpicies, queîs ipſe, & adhuc leuioribus ictus
Fœminea effundis bilem in lamenta, diemque
Proîjcis, iratus Superis, vitæque, tibique.
Nam quæ tam miſeri (libeat perpendere) luctûs
Materies? Teneris illuſit bruma racemis,
Palladios fœtus decoxit fortior æſtus,
Inuida ſpem largæ Cereris rubigo fefellit.
Hinc dolor, hinc lacrymæ: Quì conclamatus, & omni
Deiectus ſpe viuam? O fœda inſcitia, necdum,
Qui viuas, didiciſſe! At pronum diſcere. Viues,
Omnis vt artificum pubes, vt nauita, ſutor,
Ruſticus, vpilio, miles, generiſque per Orbem
Humani pars magna, foret queis copia diues,
Quod tibi, poſt cladem, reliquum. Te parcior anni
Vnius exanimat fructus, quem fœnore largo
Excuſabit agris ventura manentibus æſtas :
Haud ſtabiles illis reditus, haud iugera certi
Vlla ſoli : vix, quod naturæ vota requirant,
Suppetit : eximio ſortis pro munere ducent,
Si rigidos, quamvis craſſa, atque hirſuta, Decembres
Penula ſubmoueat : ſi quantulacunque paratæ
Frugis ad exiguum non deſit copia victum.

Nec

Digitized by Google

Nec tamen exoſam propero vel funere vitam
Abîjciunt, vel perpetuò mærore fatigant:
Quin curis miſcere iocos, atque edere plauſus
Sæpe vacat: feſtæ in primis Solennia lucis
Cum redeunt, longoque modum poſuere labori.
Tunc etenim, madidi Baccheo nectare venas,
Per virides incompoſitis iam motibus agros
Subſiliunt; bifori iam paſtoralia buxo
Alternant hilares modulamina; iamque, toroſis
Pectora nodantes, & mutua colla lacertis,
Piſææ veteri luctantur more palæſtræ.
Conſcia feſtiuis circùm clamoribus arua,
Frondiferique ſinus nemorum, colleſque reſultant.
Lætitiæ hac igitur pompâ præferre beatos
Se liceat, queis fulgor opum, queîs lauta ſupellex,
Omnia queîs genij procul oblectamina, nullum
Eſſe ſibi gnaris, niſi de ſudore diurno,
Præſidium certum, & vitæ inſtrumenta tuendæ?
Tu, cui res tantò melior, ſqualentia nigris
Perpetuùm lacrymans obduces nubibus ora,
Et tantùm Æmilij non pontis ab aggere mittes
Damnatum caput: immodici quòd copia luxùs
Haud ſuperet, vanis ſed parcens ſumptibus, intra
Naturæ poſitos cogaris viuere fines?
19. Vnde hæc, fœmineis vel ſenſibus inficianda,
Mollities? An diſſimili tibi pectora finxit,
Et reliquis natura luto Mortalibus? An te
Ex florum ſuccis, aut illo condidit, æther
Quo matutinus conchylia rore maritat?
Heu nimis indecores animos! Sæuiſſima ſortis
Fulmina, ceu fragiles, Alij, ſine cuſpide thyrſos,
Excipiunt: minimi ad ſpeciem dubitabile vulnus
Te culicis plorare iubet: confinia ſummæ
Vix cutis exiguo diſtrictus acumine, rumpis
Clamorem, quantum neque Stentoris ilia, læſus
Nec Diomedeâ Gradiuus Homericus haſtâ: (a)
Bac-

(a) *Homer. Il. lib. 5.*

Baccharisque furens, ceu, qui fallente ſecuri
Saucius, impulſis taurus diffugit ab aris.
At quò Socraticis iterumque iterumque recocta
Mens abijt ſtudijs? Quò magni trita Cleanthis
Porticus, & totas biberat quod pectus Athenas?
En ſtolidum vulgus, Sophiæ immortalia nunquam
Templa vel à primo cui limine cognita, laudis
Te tamen in ſtadio victum poſt terga relinquit:
Pluſque illi ingenitus ſtupor & vecordia præſtat,
Palladiæ tibi præſtiterint quàm roboris artes.
Mæſta nec ignauo ſuffundere lumina fletu
Deſinis? Et turpes etiamnum cordis ab imo
Rumpuntur gemitus? Graijs audita Lyceis
Si nondum teneram firmarunt dogmata mentem;
Vilibus in triuijs quæ proſtant obuia, ſaltem
Confirment exempla. Illinc fas denique diſcas,
Poſſe homini quovis fatorum in turbine frontis
Lætitiam, nedum mentis conſtare vigorem.

20. Fac tamen, in duris ſociorum fortia rebus
Deficiant exempla; tuo num parua dolori
Te penes, inque tuis opibus ſolamina reſtant?
Aſpera ſit quamvis, nunquam ſic funditus omni
Sors hominem vacuat felicis munere vitæ;
Quin complura ſimul miſero iucunda relinquat,
Cætera queis lætus neſcire impendia poſſit,
Seque illis geniumque ſuum oblectare fruendis.
Mors rapuit ſobolem: ſed prædia ſalua, tumentes
Sed loculos rutilus pergit diſtendere Ganges:
Quanta fluent illinc orbatis gaudia Canis?
Res anguſtæ: operum felix at gloria, partum
Et ſophiæ ſtudijs manet indelebile nomen:
Aurea quo regum ſupra diademata frontem
Erigis, &, tacitæ calcans obliuia Lethes,
Perpetuos iam nunc vitam diſponis in annos.
Nulla parata mihi tam dulcis pignora famæ,
In tenebris quin voluor, ais, præſentibus æquè
Ignotus populis, ignorandusque futuris.

Non

Non alijs igitur famam excuſare iacentem
Præſidijs opibusque licet? Quin aſpice, fortes
Quale tibi membrorum artus, immaniaque oſſa
Fulciat. Herculeum robur, quot ſpondeat æui
Luſtra nihil Medico debentia, quàmque valenti
Terreat, & longùm voluendo ſtamine Parcas.
Nullane tam pulchrum reris ſolatia cenſum?
Aſt illum, ſi quâ mercede parabilis eſſet,
Non vnus toto ſupremæ munere ſortis
Duxerit, & ſceptri pretio regnator emendum.
Denique, cuncta licet mortalis Commoda vitæ
Fatorumve, hominumve rapax iniuria tollat;
Non tamen æthereos cenſus, animoque repoſtas
Diuinæ virtutis opes contingere ſiue
Vlla hominum, ſeu fatorum vis audeat vlla.
Fortunæ ſacer hic fundus, mirabile donum
Numinis, externis violari caſibus vna
Indocilis merces, externos quoslibet vna
Delinire potens, largèque rependere caſus.
21. Cur igitur plùs amiſſi contriſtet egeſtas
Vnius, alteriusque Boni, quàm cætera lætum
Efficiat præſens implendis copia votis?
Omnia naturæ cur præmia, donaque Diuûm
Additus exiguæ cladis corrumpat amaror:
Nec magis hæc ſociâ ſeſe dulcedine tingat?
Vnicus an lolij ſuffocat Gargara culmus?
Tota perit læſo Gauri vindemia botro?
Heſperidum ſyluis aut ſi felicibus vnum
Aura nocens pomum perſtrinxerit; ilicet actum
De reliquis: nulli veteris iam gratia ſucci,
Nulli priſcus honor formæ; defluxerit omnis
Autumnus vitio pariter confectus eodem?
Fuſus ab Hetruſco Dux Inſuber hoſte, paratis (a)
Suâſit vbi iam ſera dies accumbere menſis;
Quam male tentatæ commouerat alea pugnæ,
Turbidus in Famulos, inque obuia fercula bilem
Ructa-

(a) Nierem. de Arte volunt. lib. 6. cap. 45.

Ructabat, nihil irato non pectore damnans.
Cui coquus impatiens ſeſe ac ſua munera ſperni,
Exitus aduerſi certaminis, inquit, acerbo,
O Here, confuſum vitiat tibi felle palatum,
Nec patitur ſyncero epulas dignoſcere ſenſu.
Sed, quoſcunque volet, pergat Mars texere ludos,
Totaque ſub ſignis conſpiret Hetruria; nullo
Vicerit id conatu, vt, noſter fercula ſtruxit
Quæ labor, abſurdi veniant culpanda ſaporis.

22. Adde, quòd vrgentis Fortunæ ſpicula, ritu
Cuſpidis Æmoniæ, feriant hinc quamlibet; ictos (a)
Inde iuuant tamen, & cum vulnere vulneris vnà
Lenimenta ferunt. Nam cum Deus indole tali
Seu Bona, ſeu Mala condiderit mortalia, nunquam
Vt penitùs diuiſa fluant, ſed fœdere certo
Alterius ſemper ſortis ſors altera partem
Contineat; Bona dum nobis extraria, Natos,
Rem, faſces, titulos Fortuna volubilis aufert;
Vnà etiam ſtimulos animi, faſtidia, curas,
Et reliqua his adiuncta Bonis diſcrimina tollit.
Nec ſecus, ærumnis quoties immitibus vrget,
Famam onerat probris, languoribus inficit artus;
His agnata Malis pariter compendia donat.
Et tu, ceu vitæ rudis, imprudenſque Futuri,
Viribus inualidum, titulorum & honoris egentem
Te quereris, pulſumque domo, quem corporis ægri
Ni labor hic thalamo affixum retineret, obortâ
Per ludum (quod ſæpe vides contingere) rixâ,
Fòrs male vitatum iugulo, vel pectore ferrum
Exciperes: qui, ſperati ſi culmen honoris
Nactus eras; lapſum cælo Phaetonta referres,
Sæua Iouis ſubiens irati fulmina: dulci
Aut nido procul ignotis in finibus æuum
Ni traheres; luxu facilè corruptus inerti
Ventura in rapidos iecisſes ſemina morbos,
Hæres ante diem patrij dicende ſepulcri.

Quàm

(a) Vide Pl. lib. 34. Hiſt. Nat. cap. 15.

Quàm miros Fortuna ſibi componere gaudet
Rebus in humanis ludos? Aduerſa ſecundis
Auſpicium quoties fecere, ruinaque felix
In gremium lapſos ſortis proiecit amicæ?
Hoſtili medium tranſactus vulnere pectus
Nil ſe iam Superis debere Pheræus Iaſon (a)
Crediderat: vomicam tamen in Vitalibus altè
Hærentem explicuit mucro, fidusque, ſalutem,
Quam non attulerat Pæon, ferus attulit hoſtis.
Quis non exitio hybernas fore duceret aruis
Seminibusque niues? Atquì noua ducitur inde
Ad ſobolem virtus: formandis fœtibus aptus
Dum calor, & viuax naturæ ſpiritus intrò
Cogitur, ac teneris radicibus inſinuat ſe,
Perficiens, quæ læta ſuo dein tempore pubes
Exiliat, varijsque annum prouentibus ornet.
Quid moror? Ipſa etiam morbis prodeſſe venena,
Multa mouens hominum in dubijs ſolertia rebus
Comperit. Exemplo eſt aconiti inamabile germen:
Luminibus quo vix ægris præſentius vllum, (b)
Importuna premant liquidos ſi Nubila viſus,
Auxilium venit, offuſasque eliminat vmbras.
23. Atq:hoc,perſpicuâ,Graiæ immortale Mineruæ
Lumen, Epictetus ſignauit imagine: rebus
Dum medijs geminas hinc, illinc addidit anſas: (c)
Dextram vnam,ſine fraude licet qua apprendere;læuã
Aſt aliam, nulli vnde queant impunè teneri.
Nimirum ſociæ ingenijs diſcordibus anſæ
Oppoſitas rerum vires, effectaque partim
Commoda, Mortales partim lædentia ſignant.
24. Quocirca id reliquũ,ratio id planiſſima dictat,
Inſidi capulo vt lateris ſolerter omiſſo,

Dextro,

(a) *Plut. de capienda ex hoſtibus vtil. & Val. lib. I. cap. 8.*
(b) *Plin. lib. 27. cap. 3.* Maiores oculorum medicamentis aconitum miſceri ſaluberrimè promulgauere: aperta profeſſione, malum quidem nullum eſſe ſine aliquo Bono.
(c) *Cap. 58. Enchir.*

Dextro, quidquid adeſt, potiùs mens prouida ſumat:
Scilicet, à rerum titulis peioribus acto
Vt retrorſum animo, &, quantùm licet, vſq;reducto,
Non, niſi quod ſeſe placiturum oſtendit in ijſdem,
Contempletur: apum ritu, quæ, florea Veris
Circùm regna vagæ, viroſis quamlibet herbis
Inſideant; gratum vel tali e fruge ſaporem
Excerpunt, operoſa dein quo mella laborent,
Fragrantique ſuas diſtendant nectare cellas.
25. Nouerat id Cæſar: Libyæ ſqualentis in oras
Æmathiæ qui fortunam, & victricia ſigna (a)
Dum trahit, arrepto vix primùm in littore lapſus,
Haud lætis hoſtile ſolum tetigiſſe videri
Auſpicijs poterat, ni triſtem ad proſpera caſum
Flexiſſet, Teneo te, clamans, Africa: noſtra es.
Nec ducis Oebalij diſpar ſolertia: centum (b)
Qui ſimul Auroræ populos, totumque ſub armis
Xerſem ad Thermopylas pugnâ excepturus iniquâ,
Neſcio quo, telis, referente, hoſtilibus ipſum
Ilicet obnubi media inter prælia ſolem;
Lethifero illo etiam in nimbo, Martisque procellâ
Aduertit ſapiens, meritò quod poſſet amari.
Et, Bene, ait, narras: nimios certaminis æſtus
Pertimui: leuat hac nubes me ferrea curâ.
Gratia Dijs, hoſtique: aderit pugnantibus vmbra.
26. Et verò, niſi tam dulci deuinxerat arte
Oppoſitas rerum formas elementaque Numen;
Ipſa ſibi diſcors nutantis machina Mundi
Haud, reor, immotâ poſſet compage teneri:
Sed ciuile nefas, æternaque iurgia ſciſſum
Hinc, atque hinc furijs agerent immanibus Orbem.
Nam mediâ cum parte Sui contraria pugnent
Quattuor inter ſe Naturæ corpora prima;
Si nihil aut his ſpectandum, aut occurreret illis,
Præter eam, diſconueniunt qua ſingula, partem;

(a) *Suet. in Vita cap. 59.*
(b) *Plut. in Apopht. Lacon, de Leonida.*

Arida nunquam equidem tellus, atque aridus ignis,
Illa liquentis aquæ, liquidi conſortia ferret
Aeris hic: neque fida ſatis durare caloris
Aerij, & gelidæ poſſet vicinia lymphæ.
Omnia quæ nexu nunc apta ligantur amico,
Cognatæ alterius fido quia glutine partis
Se retinent. Flammæ ſimilis calor aërà iungit:
Communi fluxu lymphis adſtringitur aer:
Vndaque frigus amat vicinæ frigida terræ.
Corpora ſic inter pugnantia, diſque ſidentes
Naturarum habitus æternùm læta viget pax,
Innectitque ſibi concors diſcordia Mundum.
Hunc igitur, conſtant quo rerum fœdera, morem
Ad vitæ regimen, Mundique minoris ad vſus
Conandum nobis traducere, quælibet inter
Si certam retinere iuuat diſcrimina pacem.

27. Plurima cum porrò aduerſis hærentia fatis
Commoda ſint; primum, longèq; ante omnia ponas,
Heroum eximijs nuſquam quòd latior auſis,
Anguſto quàm calle, aperit ſeſe area: nuſquam,
Fortunæ glomerata inter quàm Nubila, virtus
Plùs radiat. Quid enim rarum ac memorabile, fortem
Si præſtes animum, facili dum vita ſuoque
Prouehitur curſu? Nemo, diſcriminis expers,
Hæſurum capiti Phœbeæ frondis honorem
Rettulit. Æolij rupto cum carcere montis,
Indomitis rapidi certant Aquilonibus Euri,
Arcturusque minax fundo maris æquor ab imo
Eruit, impingitque rati; tunc ars tua, Tiphy,
In pretio, clauique ſagax dignoſcitur vſus.
Agminibus nullus, fac, miſceat agmina Mauors;
Fortis & ignaui perijt diſcrimen: Achilli
Par prope Therſites. Nemeæ portenta, tricorpor
Geryones, ſus Arcadicus, fera bellua Lernæ,
Iunoniſque odium, nec mollia iuſſa perenni
Amphitryoniaden miſere in ſæcula famà.
Debeat vt multùm Theſêo, Alcmenæque parenti;
Plùs

Plùs tamen Euryſthêo, plùs debuit ille nouercæ :
Plùs Ioue patre virum euexit Iouis aſpera coniux.
28. Fortuiti quoties igitur quæcunque Mali vis
Aggreditur ; belli, fac, tempus adeſſe gerendi
Sis memor, armatumque inferri cominus hoſtem :
Quicum iam, terris, cæloque fauentibus, amplâ
Compoſitus velut in caueâ ingentique theatro,
Experiare manus. Tecum dêin talia : Vires
Promendum : ambigui præſens vocat alea Martis.
Nunc agitur, qui ſim : virtutis, deſidiæque
Spectator Mundus. Quid tum ? Certaminis ipſe
Immemor, abiectâ, cuneis ridentibus, haſtâ,
Ceu trepidus puer, imbellis vel fœmina, turpes
Exquiram latebras ? Auertite ſydera. Præſtat
Quolibet arma tenentem infeſto occumbere letho,
Dedecoris tanti quàm ſtigmate nomen inuri :
Scilicet immotus ſæuâ Gladiator arenâ
Prouocet aduerſum nudis Vitalibus enſem,
Impauidamque animam per hiantia vulnera fundat ;
Me leuior duræ exanimet violentia ſortis ?
Immo, age, crudeles, quantùm libet, augeat iras.
Hoc iuuat : augebit palmæ decus acrior hoſtis :
Fama ſuis creſcet cum cladibus : ingentemque,
Par menſura Virorum, ingentia vulnera prodent.
Nemo, ſuæ, doluit, quòd plurima ſuppetat artis
Materies, faber. Ars Hominis pulcherrima, virtus ;
Ærumnæ, virtutis opus : nec gratuler illis ?
Tanta nec oblatæ complectar præmia laudis ?
Carior eſt, magno ſteterit quæ gloria ſumptu.
Ipſa Mali, premit heroum quæ corpora, moles,
Nominis æterni ſtat nobile Mauſoleum :
Ipſæ illos calcanda vehunt ſuper aſtra ruinæ.
Verberibus plagiſque ſuæ exploraſſe feruntur
Stirpis Amyclidæ ingenium, qui fortiter ictus (a)
Exciperet puer, hunc patriâ ſaſſi indole dignum.
Sic & ſydereus Genitor per triſtia prolis
Sumit adoptandæ ſpecimen. Qui lege probari

Hac renuit, diæ renuit quoque ſtirpis honorem.
At mihi ne quiſquam genus immortale merenti
Illacrymet. Perijt fortis patientia: caſus
Fruſtra omnes fuerit conſumere; ſi mea luctu,
Non hilari virtus cenſetur digna triumpho:
Infelix potiùs videor ſi dura ferendo,
Quàm ſacer. Ærumnæ vulgi plorentur inertis:
Fortiter exhauſtas lædit, niſi Mundus adorat.
Plus homine eſt, humana animo qui pertulit æquo.
29. Iuuerit hoc etiam, certo ſi certiùs omni
Conſtituas, nihil inconſulto Numine magni
Rebus in humanis poſſe, aut contingere parui.
Non error, caſuſque rapit mortalia. Cæcum
Fortunæ numen ſceptro donauimus, Ipſi
Veriùs heu cæci. Qui condidit omnia, iuſtis
Omnia ſupremus naturæ temperat author
Legibus, euentus dubios, inopinaque fata
Ad certum per nota ſibi compendia finem
Circumagens. Vano trepidi quid voluimur æſtu?
Ipſe ſui nouit cauſas moderaminis: ipſe,
Quid magis expediat, rerumque quis aptior ordo,
Perſpicit. Adriacas pinu ſulcante procellas,
Nonne vides, vt vectorum manus inſcia ductu
Auſpicioque ſui volitet ſecura magiſtri:
Vt nihil addubitet, ſe ſeque per omnia doctis
Illius imperijs, & canæ præbeat arti
Morigeram? Si ductori, qui ſeu malefidus
Fallere, ſeu falli potis eſt male prouidus, vltro
Permiſiſſe iuuat nos, noſtraque; fidere ſummo

Cur

(a) *Vide Plut. de Inſtit. Lacon. vbi, licet experimenti mentionem non faciat; magnæ tamen gloriæ dicit Pueris fuiſſe, verbera fortiter excipere.* Pueri per integrum diem flagellis cæſi, ſæpe ad mortem vſque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacreſque tolerant, atque inter ſe de victoria certant, in eo poſita, quis diutiùs magiſque perferat verbera: victoremque ſumma conſequitur gloria. Certamen id flagellatio dicitur, & quotannis habetur.

Cur dubitet quiſquam Rectori, hominumq; Parenti?
Fata ſupercilij nutu qui condit, & æui
Perpetuos certo deducit tramite curſus:
Quem nihil ex Mundi ſerie vicibusque futuris
Præterit, & dulci qui nos dignatus amore,
Quidquid ſeu furor hoſtilis, ſiue aſpera vitæ
Lex iubeat perferre, humana ad commoda flectit?
30. Certè equidem, noſtri quanquã nil vſibus Orbis
Proſpiciens mortale genus per triſtia quæque
Duceret; in iuſtas etiam tum nulla querelas
Suppeteret ratio. Mundi ille æterna poteſtas,
Quidquid agat, nullo ſub iudice reddere cauſas
Cogitur. An ſua demoliri, perdere, iamque hos,
Si libeat; iam diuerſos, ſi malit, in vſus
Artifici flexiſſe nefas? Si quisque ſuarum
Vindicat arbitrium rerum: diffingere nullo
Si figulus prohibente poteſt, quam condidit, vrnam;
Quidnì iuris idem in ſua regna, ſuumque Tonanti
Concedatur opus? Cur illi ex omnibus vni,
Produxit Domino quem vitæ ad lumina nutu,
Haud liceat dominis moderari nutibus orbem?
Nunc placido ſummæ rationis pondere fata
Cum regat, & noſtrâ mitiſſimus omnia libret
Vtilitate Parens; tam dulcia iura ſubire
Quis renuat? Quis non patiatur, ametque regentem?
31. Dura iubet: ſed enim Patrem, vel dura iubendo,
Se probat. An dulcem curare fatetur alumnum
Tunc genitor tantùm, cum pronus ad oſcula tollit,
Aut gremio fouet, & blandis complectitur vlnis?
Non mage adhuc patrij ſenſum declarat amoris,
Ingreſſum teneræ, cum, iam lanuginis annos,
Prætextam mutare ſago, caſtrisque penates
Imperat: vt, ſæui per honeſta pericula Martis,
Noſcendum famæ ſe præbeat, eximijsque
Teſtetur genus, ac tollat ſublimiùs auſis?
Hæc tua conditio: ſic & tibi maximus author,
Vincenda obijciens diſcrimina, conſulit. An tu

Vbera ſetoſis etiamnum ducere labris,
Inque ſinu gerulo ſemper, ceu bimulus infans,
Ludere, blanditiasque audire, & reddere poſcis?
Deficeres nimiùm genitoris ab indole. Fortis
Illius in Natos amor eſt: ad grandia quæque
Protinus imbelles annos, primamque iuuentam
Inſtituit: neque deſidiâ turpique veterno
Ingenuas patitur vires corrumpere, duris
Sed ſtudijs, meritâque iubet clareſcere famâ.

32. Nullos at video, referes, præſentia fructus
Quos olim peperiſſe queant diſcrimina. Quid tum?
Pæonij quoque non rarò medicaminis Ægrum
Vis latet: occultam nec ſeciùs inde ſalutem
Percipit. Eſt Recti, eſt aliquid, decernere, nobis,
Quod, licet ignaris, Superûm Sapientia poſſit.
Aſpice belligeras acies, Mauortia caſtra:
Omnibus anne illic communis buccina prodit
Conſilium mentemque ducis: cur inter opaci
Furtiuas nemoris latebras conſidere turmam
Iuſſerit hanc; promptis illam vigilare ſub armis:
Cur ſubitò moueat: celeres quò deſtinet alas?
Præſcriptas ſibi quisque vices, & munia lætus
Occupat, imperij quamvis arcana videndam
Se ratio neget. Antiqui ſat prouida noſſe
Corda ducis. Belli mens totius ille, quid aptum,
Vtiliusque, videt cunctis pro millibus vnus.

33. Cur tamen in Iuſſis Cæli grauioribus vllos
Ipſe etiam nequeas fructus agnoſcere? Nullos,
Fac, pariant alios; hoc ipſum fortia ferre,
Numquid vile Sui pretium? Nil gloria mentem
Ergo mouet, pulchris merces ampliſſima factis?
Nil virtutis amor, vinci quæ neſcia, clades
Lucra facit, geminatque ſuum per vulnera robur?

34. O Pater, o naturæ, immenſique arbiter æui,
Duc, age, duc Famulos: tua quò ſuprema vocârint
Imperia, obſequij haud ſegnes, animisque parati,
Aſpera, ſeu mollis via ſit calcanda, ſequemur.

Nubi-

Nubibus immiſtas Alpes, rapidisque negata
Vel Volucrum pennis audaci vincere niſu
Saxa iubes? Celſarum inter pendere ruinarum
Ilicet Abrupta aſpicies. Fœcunda venenis
Reptilibus Libyæ ſitientis in æquora mittis?
Iam Libyæ celeri ſignabimus arida greſſu
Æquora, ſerpentum ſocij. Sulcare frementem
Nerea vis? Tumidis concurrere protinus vndis,
Oraque vel mediæ iuuet irrupiſſe Charybdis.
Pauperiem duram, famæ diſpendia, triſtes
Carceris indigni tenebras, vincla aſpera, morbos,
Quidquid acerbum, inuiſum, atrox, immane, feremus;
Tu iubeas tantùm. Noſtras tibi cudere ſortes
Vis æterna dedit: nos iuſſa capeſſere nati.
Ignarus nimis ille Tui, permittere tanto
Non niſi compertis qui ſe rationibus audet
Ductori, lætusque minùs per ſaucia dumis
Tesqua, per Hyblæis pictos quàm floribus hortos
It comes. Humanis tu ſingula prouidus aptas
Vſibus: ad lætos tu dirigis omnia fines,
Vna ſalus rerum, lex totius vnica fati,
Conſilijque potens Ratio, menſuraque Recti.
O dignos (Quid enim haud meriti tã ſontibus auſis?)
O dignos, quibus ad votum fluere omnia, quosque
Auſpicijs per praua ſuis & deuia ferri
Iure ſinas, quicunque tuis parere recuſant!
35. Talia ſi vulgo conſtent oracula; plauſu
Iam celebri, nedum nullo mærore, ſiniſtros
Excipiat caſus: quin ipſa & nomina mutet
In melius: geminæque adeo diſcrimine ſortis
Funditus humanis ſublato e rebus, iniqui
Nil ſuperet, nil non felix & rite ſecundum.
Si tamen infirmam minùs hæc ſapientia mentem
Alleuat, æthereoque licet decreta Parenti,
Triſtia pergis adhuc lugendaque fata vocare;
Aſt aliâ, vitæ in medio quæ ſenſibus ipſis,
Contrectanda patet, ſæuum ratione dolorem

Lenieris, reputans animo, quàm concita curſus
Feſtinent Humana ſuos abſoluere: teque,
Quantumcunque miſer iam ſis; haud vſque futurum.
Numquid enim propero vaneſcere gaudia tantùm
Fine putas? Nihilò plùs longa doloribus ætas:
Nec, ſeu difficilis, ſeu commoda, nouit eodem
Stare diu fortuna gradu, variabile nacta
Ingenium: qualis tumido nunc proluit æſtu
Littora; nunc refluens in ſe maris vnda reſidit:
Ferrea vel ſpeculis, & turribus addita, verti
Qui iubeant, nullos non audit lamina ventos.
36. Paruane retro hominum ſeries, de culmine rerū
Quos dedit in præceps, mox altiùs extulit, atque
Inſtabili ludo per ſumma, per ima rotauit?
Sat Marium fuerit meminiſſe. Quot obîjcit vnum
Perſonasque, vicesque caput? Vulgaris ab imo (a)
Ordine militiæ paulatim munera ſummi
Vectus ad imperij, mox illo e vertice lapſus,
Poſt trepidas ex Vrbe fugas, vluæque paluſtris
Præſidium infelix, & ferrea vincula, Cimbri
Tantùm non gladio cecidit lictoris. An ergo
Terminus hic leuibus fatis? E carcere ſoſpes
Mittitur, ac noua fortunam in conamina ducit.
Scilicet vt rurſus fugiat, Libyâque repulſus,
Deiectæ vagus, æger, inops Carthaginis hoſpes,
Mutua det Pœnis ſolatia cladibus. Immo
Acrior vt redeat, quos & iam fugerat, vltus
Hoſtes, Romuleo Conſul moriatur in oſtro.
Hanc Marij ſortem quisquã putat? Hæc Hominis ſors
Perpetua eſt. Luctus, alternaque gaudia vitam
Diuiſere ſibi: iamque hæc, iam protinus illi
Temporis orcheſtram repetunt, nec, qui modò lapſis
Vultus erat, vultum eſſe ſinunt labentibus horis:
Continuatque ſuâ ſemper diuerſus in orbem
Circumagi leuitate chorus. Quæ talia vitæ
Diſcors ingenium, atque æui mutabilis ordo

Cum

(a) *Vide Plut. in eius Vita.*

Cum toties, totieſque iteret ludibria; quidquid
Infeſti durique tulit Dea mobilis, ore
Haud alio nobis ſpectandum, ac Nubila primos
Sub Zephyri flatus euanida, noctis opacæ
Aut horror iamiam Eoum reuehentibus axem
Deceſſurus equis. Certè Mala, vix Mala, quorum
Principio finis tam proximus. Indue lætas
Spes igitur, neu cede animis. Poſt pauca dierum,
Fòrs etiam ſpatia horarum, qui nunc grauis inſtat,
Aufugiet dolor, & vacuas ſoluetur in auras.
Erudiunt annos anni, præbetque ſequenti
Tranſactus documenta dies. Metire volutæ
Hactenus ætatis ſeriem: quot caſibus ægram,
Quàm varios inter querulam fluxiſſe labores
Comperies? Rapido ablati qui temporis æſtu,
Nunc vbi? Quaque Sui minimâ iam parte ſuperſunt?

37. Eſto tamen, ſeros curſum producat in annos;
Sic quoque dicendus breuis eſt dolor. Vltima fati
Nempe vbi lux aderit; cum vitâ finiet omnes,
Vita quibus premitur, caſus. At quàm prope diſtans
Terminus is, tangique celer? Non publica vulgi,
Doctorumque pari feruet querimonia ſenſu,
Tam breuibus ſpatijs anguſtoque æquore claudi
Viuendi nobis data tempora; preſſerit vt vix
Mortalis primo limen pede; iamque ſupremas
Miretur ſubitò ad ſtadij conſiſtere metas?
Et meritò: quid enim Pyliæ quoque cana ſenectæ
Luſtra, vel Euboici rugoſos pulueris annos (a)
Dixeris, ad ſeriem immenſam, numeroſque patentis
Longiùs æterni, toties & longiùs æui?
Nempe minus multò, ſtagna ad Neptunia roris
Quàm matutini trepidantem in gramine guttam.
Penè fuit, ſimul ac cœpit, cum tempore quidquid
Labitur: in vaſtum quamvis ſe porrigat orbem;
Inſtar habet nihili, ſi limite deſinit vllo.
Cur igitur vitamque breuem, immenſumque dolorem

(a) *Vide Ouid. lib. 14. metamorph. v. 137.*

Conquerimur; nunquam patet hic ſi longiùs illâ,
Sæpe etiam gyro curſum breuiore coercet?
Aut cur perpetuo manantibus vbere riuis
Flere iuuat, ſtandi quæ neſcia, tangere primos
Iamiam ſupremis properant occaſibus ortus?

38. Si, quoties rerum lætarum terminus inſtans
Obijcitur, mens ægra dolet; cur, fine malarum
Propoſito, non æqua ferat ſolatia? Triſti
Gaudia quæ luctu breuitas confundit, amaros
Cur nequeat miſcere pari dulcedine luctus?
Pauca ſub hæc, mortale quibus componitur æuum,
Horarum ſegmenta, manet nos altera, longè
Occiduas egreſſa vices, arctataque nullis
Limitibus, nullis obnoxia caſibus ætas.
Quìd Superis durare parem, quid legibus æui
Maiorem, genitamque æterna in ſæcula mentem
His breuibus Gyaris, perituræ hoc carcere vitæ
Stringimus? Illa animo potiùs voluenda capaci
Tempora ſunt, in perpetuum redeuntibus orbem
Temporibus conſerta: illud ſine fine refuſum,
Complexumq; omnes numeros, nec ab omnibus ipſum
Comprenſum numeris, totum ęternumq; putandũ eſt.
Scilicet, immenſis ibi curſibus vlteriora
Mirati in ſpatia, vlterioraque ſemper euntem
Oceanum, quidquid metas extremaque nouit
Littora, vix nihilo maius ducemus, eòque
Indignum, deceat cui mentem aduertere, cuius
Vel tenui ſtimulo ſenſus nos curaque tangat.

39. Denique, fortuitis ſi caſibus vtilis ira:
Si miſeros lamenta iuuant; iraſcere: bilem
Euome per lacrymas, per iurgia: nulla querelis
Hora vacet. Quid adhuc ceſſas? Vltro ipſe iuuabo:
Clamemus. Rigidis proh durior Apennini
Sors ſcopulis! Adeone iuuat ſæuire? Cruentam
Nullæ adeo clades exemplaque dira nocendi
Expleuere ſitim? Rapuiſti dulcia, Natos,
Pignora, rem, titulos; inopem nudumque paternis

Tru-

Truſiſti laribus. Quid iam, niſi ſpiritus æger,
Reſtiterat, corpusque ſuis vix oſſibus aptum?
En etiam triſtes has lædere noxia pergis
Relliquias, miſeræ fragmenta nouiſſima vitæ,
Affixumque toro longis cruciatibus vrens,
Ante necem ſpirante iubes putreſcere buſto:
Nilque mei, duras poſſent qui flectere cautes,
Te gemitus, lacrymæ nihil, & ſuſpiria tangunt.
Quin age, iam totam ſemel, immaniſſima, profer
Sæuitiem: neu quid ſupra tibi denique reſtet;
Inuiſum caput hoc quovis interfice letho.
Sed parcis, video, laniandi ſæua voluptas
Ne pereat, mecum tandem conſumpta: parùmque
Infelix videor, letho ſi torquear vno:
Nec tu infeſta ſatis, mortes ni mortibus addas,
Extremumque diem nullâ non luce reducas.
Ergo ego ſum, cui nec permittunt viuere, nec dant
Fata mori: totiesque vnum qui ducere funus,
Lætitiæ, cogor, vitæque, mihique ſuperſtes?
Heu miſerum caput! Heu nimiùm crudelia fata!
Talia cum ſemel, atque iterum, cum nocte, dieque
Aſſiduus, totoque dolens iactaueris anno;
Perdita num res, aut ſoboles, vel fama redibit?
Num dolor, aut rabidi ponet violentia morbi?
Nil minùs. Inconcuſſa ſuo ſtant pondere fata:
Iraſcique licet, non iraſcendo mederi:
Quin potiùs querulis clamoribus experrectus,
Admonitusque Sui, vehementior inde reſurget,
Paulatim quem longa dies ſopiuerat, angor.
Et tu luctiſonis indulges queſtibus, ictu
Quòd nimiùm nimiùmque graui ſis læſus. At ille
Mitiùs hòc tolerandus erat, quò immitiùs vrget.
Nam neque membrorum iactatio dura, nec aſper
Defixus laceris Vitalibus vnguis acerbum
Viuidiore iubet ſenſu crudeſcere vulnus;
Infeſtum ac violens exaſperat ira dolorem.
Cernis, vt aerias curſu delata ſiniſtro

Aucupis in fraudes, prætentaque fila Volucris,
Quò mage captiuas infelix concutit alas,
Argutumque mouet caput, & trepidantia crura;
Firmiùs hòc viſco, laqueiſque tenacibus hæret?
Caſibus haud aliter mens irretita malignis,
Dum furit immodicè, ſeque intolerantiùs æquo
Verſat agens, laqueos adeo non exit; vt îjſdem
Se magis, ac magis impediat, luctuque prematur
Triſtiùs ipſa ſuo, duræ quàm crimine ſortis.
Mitte igitur ſteriles gemitus, nullique futura
Præſidio ad vulnus pueris lamenta relinque.
Si verum excutias; tenuis plerunque dolere
Cauſa iubet: facis ipſe grauem nimiamque, dolendo.
Eſt in Dalmatiâ (Plinî ſaltem fuit æuo: (a)
Ille author fideique caput. Nunc duret; iniquas
Senſerit an leges mutantis cuncta ſenectæ,
Indigenæ referant) altè ſubmota receſſu
Vmbrifero ſpecus, & pendentibus horrida tophis.
Quò ſi ſublatum per littora curua lapillum,
Ponderis aut minimi glebam demiſeris; ingens
Protinus ex imo audiri fragor: omnia raucis
Turbinibus mugire, erumpentisque procellæ
Horriſonus latè furor increbreſcere. Pulſu
Cuſpidis Æoliæ patuiſſe immania nimbis
Clauſtra putes: rapidosque aduerſa in prælia fratres,
Vnà Eurum, horribilemq; Notum, Boreamq; niualem,
(Ne mea, ne pelago volitent tunc carbaſa) fundi.
Tot tempeſtatum fremitus, cælique ruinas
Tantulus immiſſi lapidis ciet ictus: inertum
Scilicet appoſitâ mores animosque virorum
Effigie referens: quos quantulacunque ſiniſtræ
Vis agitat ſortis, minimoque extrinſecus icti
Vulnere, turbatis clamoribus omnia miſcent,
Et cælum terris confundunt, æquora cælo.
Cum Sapiens contra duriſſima quæque laborum
Arduus, immotus, ceruicibus Atlanteis.

Exci-

(a) *Lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 45.*

Digitized by Google

Excipiat; quantòque, ſuâ vi fultus, iniquis
Promptior occurrit fatis; vrgentia tantò
Commodiùs ferat: intento ceu poplite nixus,
Erectisque humeris, minùs ægrè Baiulus alti
Preſſum oneris durat: cui ſi ceruice remiſsâ,
Nutantique gradu ſucceſſerit æger, anhelans;
Obruitur, nimiâque impar ſub mole fatiſcit.

41. Id genus ad varios ſi quis ſolatia caſus
Comparet, aduerſo & quoties ſors ingruit ictu,
Vtendi celer expromat; non ſeciùs illis
Implacidos curarum ægro ſub corde tumultus
Leniet; ac notæ blando poppyſmate vocis
Feruida latrantis componitur ira Moloſſi,
Spirantemve minas, & ſquamea colla tumentem
Theſſalus arcanis ſopit concentibus anguem.

42. Nec mihi diſpliceat, qui, vulnere fixus acerbo,
Dum nouus in curſu dolor eſt, dum cruda cicatrix,
Seu doctis animum ſtudijs inuoluit; opaci
Seu virides ruris latebras per Tuſcula Tempe,
Perque tuas Anio ſequitur placidiſſime ripas:
Quà tepidi ſoles, & cæli purior hauſtus,
Syluarumque placens horror, muſcoſaque ſaxa,
Et Volucrum dulci reſonant nemora auia queſtu.
Iamque, latus ſocijs ſtipantibus, ad leue murmur
Diffugientis aquæ, molli proiectus in herbâ,
Ingenuos mittitque ſales, lætusque remiſſos
Excipit, & gratis fallit ſermonibus horas;
Iam fidium, vocumque hilari diſcrimine luctus
Temperat: Eumenidũ ceu quondã Oeagrius Orpheũs
Immites animos, terque allatrantia monſtra,
Et Iouis inferni non exorabile pectus
Permouiſſe, lyram quo mouit, carmine fertur.
Scilicet ad numerum componens cuncta modumque
Omnipotens faber, immenſum cum fingeret Orbem,
Neſcio quam noſtris impreſſam condidit altè
Senſibus harmoniam, modulis quæ dulcibus icta
Reſpondet commune melos: ſique abſona fortè

Diſſi-

Diſſideat ſibi ; concentum numeroſque priores,
Externo præeunte ſono, iam læta reſumit,
Iam memor ipſa Sui . Quocirca ſæpiùs ægris
Auxilium præſens tulit artubus, inque cubantes
Depulit arguto modulamine tibia morbos, *(a)*
Abderæ niſi vana fides : iuuenisque furorem,
Igne Cupidineo, ſtimulisque effrænibus acti, *(b)*
Pythagoras medico potuit compeſcere cantu .
43. Sed tamen hæc, læſis extrinſecus addita fibris,
Haud par frangendo penitùs medicina dolori eſt .
Sopierit crudum potiùs, quàm deleat hoſtem :
Et breue ſuſpenſi certaminis interuallum,
Non integra feret manſuræ gaudia pacis .
Sola igitur præſens animi fidumque leuamen
Rebus in aduerſis Ratio : conuellere ſola
Indomitos imo poterit de pectore luctus .
Numinis hæc ſacrum munus, panaceaque, nullam
Non facilis pepuliſſe luem : hac immania quæque,
Veriùs, Herculeæ ficto quàm robore clauæ,
Monſtra cadunt : Phrygij hæc mirabilis illa tyranni
Dextera, felici in pretium quæ vertere tactu
Vel ſilices, dumoſque, ac rerum aſperrima nouit .

(a) *Gel. lib. 4. cap. 13.*
(b) *Quintil. lib.* [illegible] *cap.* 10.

EVTHYMIÆ

Liber Quartus.

PÆONIO triſtes olim qui munere morbos
Exierant, genus auxilij, nomenque vetuſtam
Prolis Apollineæ cum teſtarentur ad aram;
Marmoreis deſcripta adytis medicamina.
In memores fertur Senior retuliſſe tabellas: (Cous
Moxque ſuam, rapido cum debacchata furore (a)
Hauſiſſet medicum peſtis Vulcania templum,
Per populos vulgaſſe, recens Aſclepius, artem.
Corporeis curam quam præſtitit ille, fugandis
Hanc mihi mens morbis animorũ impendere. Voſq;
Vos adeo, Sophiæ ſacraria, quæ neque flammæ
Bacchantis vis vlla, nec æui iniuria ſoluat,
Auxilij celeres ſuccos, diuinaque vati
Ad medicos vſus præbetis pharmaca. Quorum
Plurima cum facili iam carmine noſter Apollo,
Omnibus in commune Malis latura leuamen,
Prodiderit; nunc, quæ certis magis apta medela
Caſibus, & quid opis ſibi vulnera quæque requirant,
Expediam. Qualis barbatus ſæpe Machaon,
Inſtantis medius lethi, vitæque Sequeſter,
Publica languentũm per diuerſoria, Xyſte
Seu tua, ſeu fertur tua Cælie, porticibusque
Diſpoſitos hinc, inde toros ex ordine luſtrans,
Curam alijs aliam, pro diſparis indole morbi,
Præcipit: huic venas ſolui; purgantibus illi
Tergeri ſtomachum, limoſaque viſcera ſuccis.
Scammoneæ tu ſextantem ſorbebis. Amaro

Abſin-

(a) *Vide Plin. lib. 29. Hiſt. Nat. cap. 1.*

Abſinthî mergenda lues tibi rore. Nouenos
Te glutire croci tritæ cum polline myrrhæ
Orbiculos lex noſtra iubet. Præcordia craſſo
Huic Arabum gummi, aut violæ, nardique fouentor
Vnguine. Cantharidum mordaci puluere contra,
Inductoque ſinapiſmo diſtringere ſuras
Huic melius. Pendent circùm dictantis ab ore,
Singulaque excipiunt calamo præcepta Miniſtri.

2. Ergo age, Fortunæ duro qui ſaucius ictu
Fixa cruentatis circumfers ſpicula venis,
Huc ades, & cæci ſtimulos cauſasque doloris
Alto exprome ſinu: quò conuenientia poſſim
Vulneribus notis adhibere malagmata. Nullus
Tam grauis eſt, penitùsque ſedens in pectore morbus,
Nulla lues adeo tractantibus aſpera; victrix
Cui fidum nequeat ſapientia ferre leuamen,
Rectori docilem tantùm ſe præbeat Æger.

3. Cenſibus anguſtis & paupertate malignâ
Vexor, ais. Confide: niſi quid triſtius vrget;
Ærumnam ſubitò licet hanc exire volenti,
Et plenis iam nunc inopem dediſcere gazis.
Nemo vocandus inops, cui par opulentia votis
Contigerit. Non ſiue Midas, ſeu latiùs ipſe
Poſſideat Plutus. Contentus viuere paruo,
Rebus & exiguis æqualia fingere vota
Si petes; hæc tibi præ manibus iam copia: fortis
Iam nihil ad cumulum ſupereſt: ſub paupere tecto
Terrarum latè dominos, rerumque potentes
Diuitijs ſuperas. Inopes cauſatiùs illi
Se doleant, tantò quos importunior angit
Pauperies, imis quantò plùs fixa medullis.
Aſpice, quàm multis egeant, vt ſemper anheli
Plura inhient. Num, quos votorum & cordis inanes
Vſque vides, meritò locupletes dixeris? Arcæ
(Nomina pro rerum ingenio ſi fingimus) Arcæ
Illorum, ditesque domus iactentur, Eois
Quas opibus Ganges, & plurimus arctat Hydaſpes:
Non

Non Domini, quorum mens indiga: cum tibi contra,
Fructibus exiguis ſaturo, domus, arcaque tantùm
Cenſeri mereatur inops, pleniſſimus Ipſe.
Exime te ſapiens fatis: ſi finxit auara
Sors inopem; ditem ſubitò mens æqua refinget.

4. Pauperiem quereris. Fundorum aurique paratu
Nempe cares. At mentis opes, ſapientia, virtus,
Ingenium, moresque adſunt. Quàm rara ſupellex
Hæc homini, quàm non pretij vulgaris aceruus?
Ergo queat fului locupletem Summa metalli
Fingere; non animi valeant tot munerà, nullis
Munera Achæmenidûm gazis venalia regum?

5. Pauper es. Ipſe vltro tam lætam inuadere ſortẽ
Debueras, Crœſum naſci ſi fàta dediſſent.
Democriti præijt ſapientia: qui bene multâ (a)
Re locuples: totam Xerſis ſub ſigna coactam
Vt pater Auroram, omnigenum, innumerabile vulgus,
Plusquam regifico poſſet molimine ſtructis
Excepiſſe epulis; tam larga fauentis olympi
Dona, tot eximios fructus, melioribus inſtans,
Deſeruit, lucris, & transfuga nobilis almæ
In paupertatis ſe dulcia caſtra recepit.
Proh quantum ſorti debes! Cum dotibus amplis,
Pabula nequitiæ, & ſcelerum ſomenta remouit.
Non quantum optares, tribuit: ſed munere parco
Edocuit, quantum Sapientem optare deceret.
Sollicitum eſt lautos cenſus ſeruare, moleſtum
Perdere. Dum dedit exiguos, vtrumque remiſit
Hoc onus. Agnoſce vlteriora negantis amorem,
Et miſſis grates meritas perſolue querelis.

6. Pauper es. An ſolus? Iungendi fœderis inter
Romuleos Patres, Plebemque Menenius author (b)
Talis erat: talis ſummo quæſitus honori,
Verſaret patrijs dum Quintius arua iuuencis:
Et quos præterea longum eſt percurrere clari

Nomi-

(a) *Val. Max. lib.8. cap.7.*
(b) *Id. lib.4. cap.4.*

Nominis heroes. Sua ſi non obfuit illis
Ad decus, & vitæ Summam felicis egeſtas;
Nec tibi, crede, oberit: tantùm mens æquior adſit.
7. Æqua foret mens, inquis: opum ſi neſcius vſq;
Perpetuum ſqualorem inter ſordesque paternas,
Creuiſſem æquevâ cum paupertate: ſed aulam
In patriam fœtâ vix primùm e matre cadenti
Suppoſuit molles Opulentia blanda lacertos,
Ipſaque deîn tenero lac præbuit, inque iuuentam
Patricijs medios produxit cultibus annos.
Cum ſubito, ignarum quo, verſis turbi e fatis,
Iniecit ſors nigra manum, luxùsque prioris
Nil miſero, ingratum præter meminiſſe, reliquit.
Hinc dolor: hoc ſtimulis præcordia triſtibus vrit.
8. At genus id ſtimulos facili ratione retundes,
Si nihil exacto noris præſentia damna
Augeri, quin & multùm decreſcere fructu.
Nam cur ſit miſerum poſſeſſa relinquere tandem,
Quæ foret haud miſerum nunquam tenuiſſe? Dolori
Ergo fauet, lætum fortunatumque fuiſſe?
Obſiſtat potiùs. Cur, quæ ſolatia mæſti
Ducere par fuerat casùs, mæroris iniqui
Argumenta facis? Nimiùm ſua, menſor auarus,
Ah nimiùm curto definit gaudia gyro,
Non niſi præſenti fruitur qui ſorte, nec vllâ
Præteritos æui fructus in parte reponit
Lætitiæ. Volucri delabitur ocyor amne,
Singula perque perit curſim momenta voluptas:
Quæ fuit, haud ſupereſt; quæ præſens, ordine eodem
Iam fuerit. Digna hæc lacrymis ſi fata videntur;
Nunquam hominū generi, nunquā heu nō flere vacabit;
Ceu nouat illa ſuas nullo nō tempore mortes.
9. Sed neque Fortunam contra ſit iuſtior iræ
Materies, olim indultos, ſua pignora, cenſus
Legitimâ Dominæ quòd pro ratione reſumpſit.
Diuitias tibi, vel puero, fac, dura negaſſet,
Libera ceu poterat, multis ceu dura negauit;
Nil

Nil tamen Aſtrææ ad lances & iura vocandum,
Prætoris rigidâ nil dignum admiſerat vrnâ,
Parca quidem, rerum ſed non niſi parca ſuarum.
Vnde igitur lites, ſi denique ſera repoſcit,
Annuit vtendum tanto quod tempore, poſſet
Cum tamen vtendum nunquam permittere, munus?
Ergone, quòd facilis, culpetur? Præmia ſpargens,
Probra metat? Rea non fieret, ſi parcior eſſet?
Arguis iniuſtam. Quantò tu dignior huius
Nominis inuidiâ: pugnes aliena, vetante,
Qui, Domino, retinere: dati neque pignoris vſum
In merito, ſed onus reddendi in crimine ponas?
10. Eſto, infida tamen te læſerit, vt memoras, ſors:
Cur ideo noceas tibimet crudeliùs ipſe?
Abſtulit illa ſuos, rerum viliſſima, cenſus:
Cur reliquos fructus, melioraque, prodigus vltro,
Ad cumulum damni abijcias tu munera, dulcem
Lætitiam, ſophiæque iubar, cordiſque vigorem?
Hæc hominum felix poſſeſſio, quam ſibi recta
Mens parit: hanc, duri quævis iniuria fati
Externas populetur opes, ſit cura tueri.
Magnanimi exemplo eſt virtus Stilponis ab hoſte (a)
Direptis patriæ, qui, mœnibus, vndique planctus,
Vndique dum triſtis volitat dolor, & ſua nemo
Ciuibus e reliquis non deflet damna; rogatus,
Quæ ſua priuatim communi in turbine clades,
Dij meliora, inquit. Clades procul omnis. Auarus
Nil rerum eripuit prædo, eripietve mearum.
Quæ priùs obtinui, vel nunc intacta ſuperſunt.
Scilicet incoctam generoſo robore mentem,
Sublimeſque animos, & docti pectoris artes,
Hæc ſua vir ſapiens rebatur: cætera, ſortis,
Quæ, breue depoſitum, nunquam Stilponis in ære
Duxerat, haud ablata ſibi, ſed reddita ſorti
Credebat Dominæ. Parili ratione cauendum
Et tibi, ne proprij læſum quid fortè peculî,

Amiſ-

(a) *Sen. epiſt. 9 & Laert. in eius vita.*

Amiſſumve reare, ſimul Dea lubrica, ſtandi
Impatiens, iam vaſa legit: neu triſtior æquo,
Perfidiæ furtique leuem dum crimine damnas,
Quas neque ſuſtulerat, potuit neque tangere, ſacras
Compoſitæ tibi mentis opes, veriſſimus Ipſe
Fur, rapias. Dic, à ſeruo fugiente relictus
Quod Cynicus. Iactura leuis: cretatus agaſo (a)
Me caruiſſe poteſt; vili non ipſe libenter
Mancipio caream? Sine me ſibi ſufficit ille;
Non ego ſufficiens mihi ſim, deſertus ab illo?
Turpe nimis, faſtu quæ nos Fortuna ſuperbo
Negligit, eximiam nobis pulchramque videri.
Redde pari par. Te fugiens auertitur? Æquè
Auerſum ſciat eſſe ſibi. Faſtidit amantem?
Mutua deſpecti referat faſtidia. Curæ
Quid tibi ſit, curâ quæ te proſcripſit ab omni?
Res habeat ſibi rite ſuas: diſcatque, viciſſim
Se ſine, poſſe tuis hilarem te viuere rebus.
11. Haud mihi pro magnis Fortunæ præmia, ſenſi,
Nec nimio leuis hæc animum iactura moueret,
Alter ait. Thalami at ſociam, dulcesque requiro,
Altiùs impacto confoſſus vulnere, Natos:
Heu Natos, ſociamque tori, quos dura ſupremùm
Coniugis, & patris e gremio Libitina reuellit.
Audio. Sed quidnam cognato in funere flendum
Obijcitur? Vitæ blandis quòd fructibus illos;
An te quòd potiùs Natura orbauerit illis?
Quidquid erit, neutri deſunt fomenta dolori.
12. Exanimos luges, ceu dira & triſtia paſſos?
Nempe ideo, reor, occiduo quia corpore functis
Nil vapor æſtiuus, nil fert iam bruma negotî:
Vel quia pauperiem, morbos, totque aſpera ſortis,
Aſpera naturæ iam tandem vindice letho
Imperia egreſſi, nullas communibus vltra
Cogentur fatis lacrymas impendere, nulla
Coniugis aut ſobolis pullati funera ducent.
Hecci-

(a) *Laert. in vita Diog.*

Heccine ſunt, manes vnde arbitrere dolendos?
Demens! Ceu multò non iuſtiùs ipſe videri
Manibus infelix mereare, vrgentia mille
Quem rapido circumueniunt diſcrimina ponto;
Illorum ac ploranda tibi ſint funera, certos
Emeritâ portus qui iam tetigere carinâ.
13. Sin tua te potiùs mouet intercepta voluptas,
Frigentemque torum, deſolatosque Penates
Non alio prorſus, fundi quàm damna, vel auri,
Proſequeris gemitu; iacturas quæ modò tales
Flentibus admoui, ſolatia nil opus ægro
Hìc iterum ceciniſſe. Illis e funere crudo
Ortum, rite memor, poteris lenire dolorem:
Haud Lacheſim damnans, ictu quòd præcoce Natos
Suſtulerit, qui, mortales, quandoque perire
Debuerant: magni ſtatuens quin muneris inſtar,
Quòd, iuuenum florem rapido dum demetit vngui,
Nere tuos Fuſis pergat viuacibus annos.
14. Funditus at perijt domus, & ſpes tota nepotum.
Dirum equidem memoras vulnus, crudele, nec vllis
Sat flendum lacrymis. Nusquam genitoris imago,
Paruulus Æneas, claræ qui nomina ſtirpis
Excipiat, reparetque genus, in resque paternas
Sorte pari ſubeat. Villas, fundosque vacantes,
Seruatosque diu cenſus, cumulataque parcis
Sumptibus, haud parcis etiam ſudoribus æra,
Neſcio quis, dignusve tuo quàm nomine, certè
Externus, ſubitò veniens, inuaſerit Hæres.
15. O cæcas Hominum curas! Rationis inanes
O gemitus! En quid, buſto nigrâque fauillâ
Vlterior, funeſtum adeo & lacrymabile ducas.
Scilicet, occiduo poſtquam de carcere, vitæ
Cælitis in ſortem, fortunatosque Deorum
Veneris, humanis iam caſibus altior, orbes;
Is, reor, æterno perfuſam nectare mentem
Conficiet ſtimulis gaudere vetantibus angor,
Num conſanguineâ quisquam de gente ſuperſit,

Nomine te referens : aut quis tibi poſthumus hæres
Contigerit, ſeruſque tuâ dominetur in aulâ .
At Cynicus moriens haud tantùm quærere ſpreuit,
Fortiter ignarus, cuinam verſatile tectum (a)
Linqueret , aut quoſnam, ſenij deductor, in vſus
Mittendus poſt ſe baculus foret : ignibus eſca
Cederet ; an viduæ exciperet connubia vitis ;
Sed neque, quid vacuo fieret de corpore, duxit
Ad curas ſpectare ſuas : exanguia nudo
Sub Ioue membra iubens, cippi ſine munere , dulcem
Vulturibus prædam ſtatui, rabidiſque Moloſſis .
Si Cynicum tamen, agnati, vetereſque ſodales,
Auderent rabido contingere dente Moloſſi .
16. Illud ad hæc poſſis,ſapiens,tibi dicere: Quid,ſi
Contigerat Natos feſſo ſuccedere patri
Incolumes ; ideone domus, ſe ſtirpe recenti
Vſque nouans, longæ neſciret damna ſenectæ ?
Seriùs, aut citiùs naſcentia quæque ſupremum
(Sic fatis placitum) properant contingere finem .
Claudia nunc vbi gens ? Vbi magni ſanguis Iuli ?
Quis mihi Scipiadûm, Marcellorumque nepotes,
Aut quis ab antiquis monſtret ſuperantia Gracchis
Germina ? Vel primi tot quondam nominis vrbes
Heu peſſum cecidere . Iacent Carthaginis altæ
Mœnia, confuſis vix agnoſcenda ruinis .
Pro Solymâ Solimæ locus eſt . Viguiſſe Mycenas
Non oculis, famæ iam credimus . Ardua nuſquam
Pergama . Cadmeus cecidit labor : æquora nec te
Bina, Ephyre, texere ſatis ; quin Romulus ignis
Congeſtas tot opes, tanto molimine ductas
In cælum excidio fatali abſumeret arces .
Parua tamen loquor, ars hominum quæ ſtruxerat,æui
Vaſtantis miſerum tandem iacuiſſe trophæum .
Immo age, qui latè nos circumplectitur, Orbem
Aſpice, terrarum tractus, vndoſaque regna,
Ventorumque domos, cælique meabilis axes .
His

(a) *Vide Laert. in vita Diog. & Cicer. in I. Tuſc.*

His pariter ſæuam (quis crederet ?) ordine certo
Net ſua Parca diem : nec longè ſæcula, quando
Hoc etiam triplicis Mundi, in quo cætera curſus,
Interitusque ſuos peragunt, immane theatrum,
Turbine flammifero exhauſtum , in ſeſeque ſepultum
Corruat . Et, luſtris rapientibus omnia, fungi
Nos quoque ſorte pari mirabimur ? Inter & altos
Regnorum cineres, ſonitumque extremà ruentis
Naturæ, perijſſe domum quis fleuerit vnam ?
17. En Alius, tacitis mæroribus anxius, æger,
Iratusque ſibi : ſocios rumore ſecundo
Quòd celebres latè populi volitare per ora
Cum videat ; nullo famæ plaudentis honore
Vindicet ipſe ſuum Lethæis nomen ab vmbris,
Obſcurum tacitumque agitans inglorius æuum .
18. Quisquis es, o, talis mentē cui cura remordet,
Diſce age, quàm tenui frauderis munere, quàmque
Sic etiam, licet ignoto penitùsque latenti,
Nil vitæ ad fructus, ſynceraque gaudia deſit .
Quidquid abeſſe doles , ſummo quoque defuit Orbis
Authori, minimo nec tempore defuit . Ante
Scilicet e nihili æternis quàm promeret vmbris
Ille genus Superûm, ac mortalia ſæcula ; nullum,
Vnus fama ſibi, & ſpectator, & omnia, teſtem
Extra habuit decorum, miratoremque ſuorum .
Num minùs idcirco ſeſe tunc lætus in ipſo,
Num minùs externo vixit ſine teſte beatus ?
19. Exemplis videor nimiùm ſublimibus vti :
Non deerunt vitæ e medio propiora . Tonantis
Linque aulam , noſtrique redi ad commercia Mundi :
Quot ſubitò occurrent, priuato qui lare clauſi
Exiguis facilem naturam fructibus explent :
Dimiſsâque Alijs miſerà ambitione parandi
Siue togæ, ſeu bellorum per munia clari
Nominis, ex ſeſe ducunt ſua gaudia, iuxta
Neſciri populo, & populum neſcire parati ?
20. Sed quid ego, vitæ felicis ad otia nullo

Eſſe opus illuſtris, doceo, tibi murmure famæ?
Cum manifeſta fides, vix otia ſæuiùs vllo
Conficiat, famæ inſignis quàm murmure, lædi.
Angeris, exiguus volites quòd ſermo, nec vllus,
Te digito ſignans, Hic ille, admurmuret, hic eſt?
Scilicet, angorum quòd cauſæ & ſemina deſint,
Angeris. Heu quantò plùs pectoris anxius eſſes,
Sublimem latè populi ſi tolleret aura?
Queis foret excubijs, & quàm non deſide curà
Tunc opus, ingenio ſemper ne lubrica vanos
Deſereret furtim complexus gloria: neu quod
Fortè nouum exoriens maiori lumine ſydus
Verſa in ſe ſubitò vulgi traduceret ora?
Anne quati miſerà toties formidine pectus:
Luminis aſpectu, quod proijcit æmula virtus,
Non ſecus ac tedis Furiarum ardentibus, vri;
Ex leuis aduerſo, vel amico murmure vulgi
Sollicitum pendere: illinc deſumere mentis
Omnem habitum, lacrymas illinc, & gaudia: ne quid
Immemor exhibeat geſtus, vox, vitaque, famæ
Quod minùs ad veteris normam reſpondeat, horis
Omnibus obſeruare: palàm te prodere nunquam:
Nil agere ex animo: ad ſpeciem componere vitam,
Id iuuat? O Superi me nunquam talibus, oro,
Infenſi mactate Bonis. Inglorius æuum,
Traducam, dum ſecurus, liberque, meuſque.
21. Secretæ o vtinam libaſſent gaudia vitæ,
Ambitio quos cæca inſano turbine verſat:
Plaudenti procul à vulgo ſcenâque remoti
Degere, non æquo duntaxat pectore ferrent;
Sed vel prenſantes vltro, ſpernique dolentes,
Auerſi, effugerent titulos. Tam triſte ſubiri
Seruitium eſt, quo Fama ſuos exercet Amantes,
Tamque oneroſa humeris, præclarum, ſarcina, nomen.
22. Quidnã igitur? Referes. Neq; ſi perſtringar ama-
Scommate, ſi ludus fiam, probriſque laceſſar; (ro
Vlla aderit iuſti vel tunc mihi cauſa doloris?
Nulla

Nulla equidem. Vel enim feriunt inimica merentem
Scommata; vel temere iactis traduceris inſons.
Si primum, fers digna: nec iræ ſuppetit anſa,
Lætitiæ at potiùs: quando vel ab hoſte doceris,
Quid caueas, nullâque tibi eſt mercede repertus,
Sumeret arcanis qui te, Podalirius, vltro
Purgandum vitijs. Neque enim præſentius vllum
Antidoti genus infectos detergere mores,
Quàm cenſura iocis mordacibus illita: ſenſu
Triſtior illa quidem: ſed amica in munera vires
Hinc habet, haud medicæ tantum latura opis, ægras
Si minùs auſtero morſu peruelleret aures.
Vtere felici auxilio: vitijsque remotis,
Fœda ſimul meriti abſtuleris contagia probri.
23. Ludibrijs iuſtam nullo ſin crimine cauſam
Obtuleras: rationis inops ſed turba maligno
Immeritum riſu, dictisque procacibus vrget:
Siue quòd, attonitis oculis vultuque ſupino
Dum graderis, totam ſublatus in ardua mentem,
Securum, pingui via quà denſiſſima cœno,
Strauerit offenſi greſsûs iniuria corpus;
Siue quòd, hinc illinc laxo pendente galero,
Hirſutisque ſupercilijs, Afroque colore,
Et naſo enormi, ac vitreis ſpecularibus aucto,
Inſolitam exhibeas ſpeciem: nutricula qualem
Ploranti puero Empuſam, horribilemque minatur
Manducum; nullo genus id iocularia ſenſu
Præterijſſe licet. Quis enim, modò ſanus, ineptas
Amentum voces inter ſibi ſeria credat
Ponendas, hilari neque riſu explodere malit?
Atquì ſic habeas, vanam quicunque, ferendis
Rerum in iudicijs, ſpeciem ſectantur, auitis
Vt libet inſignes titulis, & plebis honore,
Stultorum genus eſſe, haud multò ſanius illis,
Quos Antoninæ ſpectans monumenta columnæ
Verberibus, iuſtisque domat cuſtodia vinclis.
Finge illos te fortè lares inuiſere, & omnem

Ridiculam venienti actutum illudere turbam:
Hunc incompoſito linguam exertare cachinno;
Spumifero illum oris nimbo, putrique ſaliuâ
Ninguêre; lentandis Tyrrhena per æquora tonſis,
Ad Centumcellas alium, & pœnalia tranſtra,
Prætoris velut edicto, te mittere: fronti,
Nec dêeſſe, affingat qui cornua, quique latronem,
Periurumque, Magumque, trifurciferumque ſalutet.
Talibus an xenijs titulisque acceptus, iniquâ
Mente domum, lætoque minùs diſceſſeris ore?
Haud reor, inſulſæ vitio ni mentis eodem
Deſipias: quin ridentes illa inter Amicos
Iurgia mox iterum ludens, iterumque referres.
Cur aliorum igitur, medijs impunè vagantur
Qui triuijs, Agamemnonidûm Amphiaraidûmque
Altiùs impreſſo feriant te ſibila morſu?
Anne iſti numero quia plures? An quia ferri
Vincla procul, nullusque tenet quòd carcer? Ineptè:
Hìc veluti res ſumma foret. Non vincula ſtultos,
Non numerus, ſedesve probant; ſed turbida mentis
Iudicia, & ſpecies prauæ, & rationis egeſtas.
Hoc ſi morbo hominum plerique, per omnia latè
Compita, perque domos, capti non ſeciùs, ac quos
Hellebori ſuccus, ſuccoque potentior omni
Fraxineus fuſtis ſecreto in carcere curat;
Nil equidem ſupereſt, pretij diſcrimine cur hos
Secernas alijs: animi vel diſpare ſenſu
Cur dignanda putes, patulis quæ faucibus aut hi
In ventos, aut hi temere conuicia iactant.

24. Deſpiceris, vultu ceu ſubniger, inque venuſtus.
Deſpice tu contra, vt fatuos & mentis inanes.
Cautus id inprimis, ne, ſi commotior æquo
Ebria veſanæ excipias dicteria turbæ;
Illius in numerum venias, ridendaque ſanis,
Futiliter plorans, de te ſpectacula dones.

25. Nam quę ſpectâtûm ad luſus ſic facta phreneſis,
Ceu ſtolidi queſtus? Non reddidit ille ſalutem:
Impu-

Impulit in latus : aſſueto fraudauit honore :
Excluſit foribus : plauſum famamque dicacis
Ad ſocios auſus de me ſibi quærere, fœdis
Immeritum ſannis, & nigro dente momordit.
Talia cum querulos irato effundere vultu
Audis ; num tremulo ſpleni imperitare, tumentemque
Aggeribus riſum potis es cohibere, per ora
Ne ſubitò, & nares ſeſe prorumpat aduncas?
Arguti nullus me certè Roſcius oris
Plùs mouet : Eupolidis nulli maiore cachinno
Sollicitant luſus, Thymeleave pulpita, vanus
Quã dolor, & genus hoc lacrymæ. In præcordia totus
Irruit extemplo, pulmonemque occupat imum
Democritus. Fruſtra eſt labijs infigere dentes,
Fruſtra animæ effugia & laxos operire meatus.
Quò magis aduerſùm pugno ; hòc inuiſa laborat
Acrior emouiſſe repagula : donec ab ipſo
Obice luctatuque immensùm viribus auctis,
Nec iam ſe capiens (ceu longà coercitus amnis,
Si liquidum tandem per clauſtra negantia rupit
Eluctatus iter) conuulſis denique victor
Proſiliat ſeptis, vacuasque exundet in auras.
26. Sed neque, ſi docto fatui delira popelli
Verba ſupercilio deſpexeris ; æquior vlla
Hinc ægri ſaltem ratio queat eſſe doloris ;
Quòd vel Socratico fòrs quisquam de grege, vultùs,
Inceſsùsve tui ad ſpeciem, ſubriſerit. An tu
Eripias ſplenem ſapienti? Turpe, doloris
Vnde procul morſus, leni præcordia tactu
Vellicat : hæc illis dedit irritamina blandi
Pruritùs natura. Aliquid ſi tale notauit
Vel ſapiens ; quid mirum, humani conſcia ſensùs
Ingenito ſua prodiderit quòd pectora motu?
Num pro Sileno te fingere Parthenopeum
Debuerat? Num naturæ dediſcere morem,
Vt riſum, ridenda videns, neſciret? Amœnâ
Perculſus facie gelaſinum claudere dentem

Digitized by Google

Ille quidem haud valuit : nullo perſtrinxit iniquus
Te tamen hinc morſu, veri nil dempſit honoris :
Rite ſuperficiem ſolido ſecernere doctus,
Nec formâ metiri hominem, ſed mente animoque.
Contemptum quod rere, fuit non liber anheli
Pulmonis fremitus. Caue, ne te veriùs ipſe
Deſpicias, ſi, quòd lepidam pulmonibus infert
Spectantûm facies tua vim ; tibi vilior inde,
Ac pretij ſophiæ in trutinâ videare minoris.

27. Quin Alijs accede libens ridentibus : &, cum
Ignea viſceribus bilis tumet, inque doloris
Fermento eſt animus, ſpeculi tum læuis in orbe
Aſpice, quàm vultu occurras geſtuque facetus,
Quam graphicè vnguiculos à vertice ductus ad imos.
Nempe, ioci ſegetem variam argutique leporis
Inde metens, animum ſimul oblectabis, & hoſti
Præripies, in te iaceret quæ, tela : Vatinî
Non aſpernando ritu : qui, ſcurra diſertus, (a)
In faciem ſtrumasque ſuas dicteria paſſim
Ingeminans, vix anſam Alijs, qua inuadere poſſent,
Vix quidquam hoſtili carpendum liquerat iræ :
Cum pudor infeſtis, morſumque parantibus eſſet,
Rodere, quæ ſalſo prior ipſe notauerat ore.

28. Deniq; plùs nimiò tenerum, expertemq; vigoris
Se probat, imbellis quem riſus, & aura volantis
Æthera per vacuum, ſolido ſine pondere, verbi,
Haud aliter, quàm tormento diſploſa curuli,
Excidium muris, ac turribus, ænea moles,
Sternit humi. Lamenta, miſer, quid inania perdis?
Quò dolor, & lacrymæ? Vocis, non fulminis ictu
Læderis. Errauí : neque vox te læſit, inermi
Allabens ſonitu. Numeraſis corporis artus ;
Nullus abeſt : nusquam minimi veſtigia præfers
Vulneris : haud vllo es viduus, niſi quem tibi, plorans,
Iratis manibus fòrs vulſeris ipſe, capillo.
Scitè olim Auguſtus, iuuenum maiore Neronum
Indi-

(a) Sen. de Conſt. Sap. cap. 22.

Indignante, Remi quòd plebs impunè proteruis
Vocibus auderet Dominũ allatrare, Quid, inquit, (a)
Friuola ſollicitant adeo te murmura? Tales
Anne parùm nos eſſe, in quos nil feruidus auſit,
Vltra verba, furor? Tenuem patiamur auitæ
Hanc libertatis ſupereſſe Quiritibus vmbram.
Dummodo ne fræna imperij ceruice rebelli
Excutiant; linguis laxent effrænibus ora.
29. His animadverſis, ludibria vana, iocosque
Imbelles facili haud tantùm ſuperaueris auſu;
Sed neque te dignam cenſebis, tantulus hoſtis
Quam dederit, palmam. Quis enim Mauortius heros,
Hoſtili male compoſitam quòd in æquore fudit
Agricolûm turbam, titulos depoſcat, & arcus,
Digneturve ſuis hæc annumerare triumphis?
Annibalem ſi quem, ſi Pyrrhum Marte cruento
Perculerit: bimaris ſi mœnia celſa Corinthi,
Cadmeasve ſolo victor deiecerit arces;
Tunc ſibi manſurum præclaro nomen ab hoſte
Induit, & curru latè ſublimis eburno
Præfert, quam Latius Mars non irrideat, & quam
Antiquis conferre velint Capitolia, laurum.
Haud aliter Sapiens portenta immania, lethi
Horribiles formas, regum ſuprema minantûm
Sæuitiam furiasque truces, certamina ſeſe
Digna putat: ſannas, irriſus, ſcommata, ludos
Ceu faciles, animo exiguæ nil laudis egente
Deſpicit: Ecquænam, referens, mihi gloria, vanam
Longè allatrantis rabiem ſpreuiſſe catelli?
Hasne ergo in pugnas, huicne vt ſecurior hoſti
Congrederer, tanto Sophiæ munimine pectus
Cura fuit texiſſe? Huc illi denique ſumptus,
Exhauſta huc ſtudia, & longi recidere paratus
Armorum? Pudet heu: conſumimus impare robur
Materiâ. Date, cui deceat concurrere fortem.
Fulmineus prorumpat aper, maculoſaque tigris,

(a) *Vide Suet. in eius Vita cap. 51.*

Seu leo, ſiue alius Libycis par terror ab antris :
Tunc firmabo gradum contra, & venabula nixo
Tendam recta genu : tunc me virtutis egere
Atque animi credam. Quò nunc ea pectora? Tantus
Quò vigor? In fœdam Venerem proiecta Iuuentus,
Expleat inſani brutos dum pectoris æſtus;
Cenſorum virgas, & nigræ ſibila famæ
Proterit. Vſuris & largo fœnore ſortem
Euclio dum geminet; qualis iactetur in vrbe
Fabula, colliſis lætoque crepantibus ictu
Explodit digitis, quævis ludibria, quosvis
Fortiter irriſus vulgi exorbere paratus.
Et Sapiens magno ſpernenda ad talia niſu
Indigeat? Vanum es, vanum, Sapientia, nomen,
Si minùs ad curas animo fers roboris, auri
Quàm ſcelerata ſitis, vetitæque libidinis ardor.
30. Ridenda hæc igitur verborum ſpicula. Curæ
Plus alij medicæque manùs fortaſſe requirant,
Quos ſcelus, & grauior peperit violentia, luctus.
Nempe, ais, haud intra fatuas iniuria voces
Conſtitit: illiſus tergo quoque fuſtis: in ipſum
Irruit os furibunda manus, pugnoque trabali
Marcentes oculos, gingiuam liquit inermem.
Nec dolor hic mentem fodiat? Plagasque ſuperbi,
Et turpes ignominias victoris inultus
Diſſimulem? Expleti ſucceſſibus ille furoris
Iactabundus, ouans, indigno e crimine plauſus
Colligat, erectâque hilaris ceruice triumphet:
Victus ego, contemptus, inops, nebulonis amari
Ludibrium vulgo ferar, inſiliendaque colla
Subijciam tumido plusquàm ſeruiliter hoſti?
Non patiar. Bene ais. Neque ego te probra ſubire
Iſta velim. Sed, ne ſubeas, mentem erige, teque
Maiorem, quàm qui victus ſuccumbere poſſis,
Concipe. Cur doleas, vulgo ceu ſpretus inerti?
Nec ſperni potis eſt Sapiens, nec ſpernere vulgus.
Crede mihi, nimio fatuos dignaris honore,

Si certâ ratione putas errare, nec auſus
Præcipites bacchantûm, & facta improuida cæcis
Caſibus annumeras. Hic, qui modò, pectoris impos,
Audaces indigna manus tibi miſit in ora,
Iudicij nil delectu, mentisque ſuaſu
Conſtituit: nil ſiue Tui, ſeu conſcius egit
Ipſe Sui: ſed, vecordi rapiente furore,
Tanquam effrænis equus, percuſſus vel ſtimulo bos,
In latus aduerſi vagus irruit. Impetus amens
Stultitiæ fuit ille, feras quem fortiter, æui
Ceu reliquas ſortisque vices; non dedecus, vltum
Quod, veluti contemptus, eas, hoſtique reponas.
Socratis in mentem veniat, qui, calce proterui (a)
Pulſatus Iuuenis, tranquillo immobilis ore
Perſtitit, inficians læſum: mirantibus æquam
Tum ſocijs mentem, ſecuraque pectora, Tali
Nam quid, ait, potiùs faciendum in tempore? Num, ſi
Obuius infeſto ſonipes te læſerit ictu,
Sublatis contra depugnes calcibus, in ius
Aut hoſtem rapias, & cauſam dicere cogas?
Non ſecus hunc ego, præcipitem, tumidumq; iuuentâ,
Quàm calcitronem Arcadico de ſemine pullum,
Intueor. Bruti poſthac ſit cura cauere
Incurſum Bipedis: nunc æquâ eſt mente ferendus.

31. Cuncta igitur, quę ſtultorũ furor improbus ad-
Non aliter, quàm fortuito venientia caſu, (det,
Excipias. Certè, ſi, quam temerarius hoſtis
Vim tulit, euentùs ſubiti Fors cæca tuliſſet:
Si, quas ille manu plagas inflixit, easdem
Ipſe tibi, prono ſeu ſcalas vertice menſus
(Auertant Superi); incertas ſeu fortè per vmbras
Poſtibus offendens caput, aduerſoque tigillo,
Indideras; miſera hæc duræ ludibria ſortis
Irarum vacuus, ſedato & pectore ferres.
Cur igitur, petulans hominum violentia ſi quid

 Tale

(a) *Vide Laert. in eius Vita, & Plutarch. de Liberis educ.*

Tale pati cogit; minùs arbitrere ferendum?
Anne tuis aliena Malis inſania pondus
Adijcit? Anne tuum ſit dedecus, alter iniquè
Quòd furit? Aude animis. Nemo contemnitur, ipſe
Ni ſeſe prior abijciat. Succumbere triſtem
Ludibrijs; non illa alacrem perferre pudendum eſt.
Vim ſubijſſe doles, iraſceris, oraque luctu
Deijcis? Indigno ceſſiſti protinus hoſti:
Nil supereſt, faſtu quin te contemnat amaro,
Quin miſeri inſultet ceruicibus, vtque ſubactum
Proterat. Iniuſtè bacchantem, & toruà frementem
Deſpice, conſilium, inuictamque amentibus auſis
Obijciens virtutem; omnis tranſibit in illum
Iam terror, cladesque: ipſo ſe iudice victus,
Terga dabit; populi te plauſus, & inclyta curru
Quadriiugo ſupra nubes victoria tollet.
32. Nequicquam ſæuos rabies aſſurgit in ictus:
Nequicquam ſtygij manantia felle veneni
Spicula liuor iners obliquo dirigit arcu:
Vulneribus Sapiens imperuius. Altiùs illum
Extulit, inſani quàm quò pertingere flatus,
Et ſcelerata queant odij conamina, Virtus.
Attentare licet, non lædere. Spumea ponti
Barbarus iniectis puniri regna catenis
Mandet Achæmenides; ſtolidos irriſerit auſus (a)
E vitreis longè conclauibus Ennoſigæus.
Quin &, compedibus ſeſta ad ludibria verſis,
Inter ſeque, velut reſtim ſaltantibus eſt mos
Transmiſiſſe, datis, choreas per libera paſſim
Æquora cum lætis plaudent Tritonibus vdæ
Nereides, Panope, Xanthoque, & glauca Lycoris,
Opisque, Clioque, Pherusaque, Cymothoeque.
Tu quoque, ſtulta odij, quid Cælum in prælia poſcis?
Humenti quid nimbo, & opacis, Terra, laboras
Auricomum Phœbi extinxiſſe vaporibus ignem?
Vana moues, quin authori nocitura. Paluſtres
Non

(a) *Vide Herodotum lib. 7.*

Non perimunt, imo iubar immortale ſed Orbi
Eripiunt nebulæ. Maleſani deſine cœpti.
Quam vomis in Superos, tibi nox ſuperincubat vni.
Telluri ſimilis vulgi dementia, fumo
Egregium nebuliſque ſuis Sapientis honorem
Dum violare furit; tenebris ſe damnat. At ille
Celſior interea, piceamque ex æthere noctem
Deſpiciens, rutilum Conuexa per ardua Mundi
Vrget iter, cæcam rabiem fatis vltus, iniquo
Quòd, dum negligitur, lucem non commodet hoſti.
33. Iamne vides igitur, cauſæ nil eſſe, malignis
Cur ſcelerum furijs adeo moueare, ſuamque
Cur ſonti retuliſſe vicem pro crimine pergas?
Vindictæ procul anſa, procul ſi noxa: nec vllo
Improbitas (Sapiens modò ſis) te crimine læſit.
34. Verùm, age, ſit fatuis meliorũ in vulnera virtus;
Nec volucres auras, ipſum te iniuria certo
Perculerit iactu: nullâ ratione repones
Hanc meliùs, quàm ſi faſtu ſapiente ſuperbum
Vulneris authorem ſpernas. Quid pectoris illi
Eſſe putas mentiſque, (vllâ ſi mente mouetur)
Dum furit, atque odijs in te graſſatur iniquis?
Hoc agit, vt læſus doleas, altèque receptum
Vindictæ ſtudio fateare in pectore vulnus.
Tolle voluptatem hanc hoſti; iamq; vltus abunde es.
Quæ tibi munitam pulſarunt irrita mentem,
Artificis cor tela ſui redeuntia figent:
Quòd te torquere haud potuit, torquebitur, ægrè
Mente ferens, nec vindictam ſe poſſe mereri.
Detuleris nimiùm Stulto, ſi iraſcere, faſſus
Talem, cui liceat Sapientem attingere. Diſcat,
Neglectus, ſeſe vel pœnâ iráque minorem.
35. Adde, quòd ipſe ſui primus iam damna furoris
Pertulit, externoque dedit ſine Vindice pœnas,
Queis nil Cecropius Draco, nil ſeu, Romula, ſiue,
Gens Ætnæa, tui grauius ſtatuere tyranni.
Omnibus vſque adeo flagris, vncisque, rotiſque,

Tediſque, & lamnis candentibus acriùs ipſum
Se cruciat ſcelus, & ſceleris mens conſcia: nulli
Quod non extemplo ſubeunt lacrymabile Sontes,
Iniuſtâ quandoque Alios vi lædere certant,
Supplicium: ſimiles vobis, redolentis Hymetti
Melligenæ ciues: alieno tela cruore
Audaces nimiùm quæ tingere, ponitis ægram
Cum telis minimo toties in vulnere vitam.
36. Denique vindictâ nil proficis. Exige quodvis
Supplicium, ſæui, lania, graſſare per omnes
Irarum lethique vias: nec facta cruenti
Sit pudor Oenidæ, moresque referre Cyclopum; (a)
Attamen hoſtili nunquam tua cæde coibit
Plaga, nec, admorſo Menalippi funere, venis
Manantem cohibebit atrox vindicta cruorem.
37. Vlciſci iuuat? Haud teneo. Vlciſcare, ſed hoſtē,
Qui propior, grauiori animum qui vulnere lædit.
Ira animi mentisque bonæ eſt acerrimus hoſtis:
Huic meritum par redde, hanc iuſtis obrue pœnis.
Demonacta furens quis neſcio verbere crudo (b)
Perculerat. Cum iudicium, pœnamque Nocentis
Turbati magno fremerent clamore ſodales;
Quŏ mihi præſidium legum, Themidisque tribunal?
Subiecit Sapiens. Sententia Iudicis ictos
Nil releuat, docti ſed cura Machaonis artus.
Hunc mihi, ſi qua fides, actutum quærite. Pœnam
Cur hoſtis propriæ libeat præferre ſaluti?
Ille fugâ procul auectus, nec iam nocet: hoſtis
Nunc meus eſt, pergit quod lædere, vulnus: in ipſum
Cura ſit auxilijs potiùs pugnare Medentûm.
Te quoque par eadem ſentire, calentibus ira
Quandocunque ferox ſtimulis præcordia verſat:
Hanc hoſtem cenſere, & ſigna infeſta mouenti
Viribus aduerſis, totoque occurrere niſu. (ſcit
38. Perge Hygieia potens, Ratio. Curā altera po-
Auxi-

(a) *Stat. lib,* 8.
(b) *Apud Lucianum in eius vita.*

Digitized by Google

Auxiliumque lues. Sunt, quos haud molliter angat,
Dulcis ab amplexu Patriæ, cariſque Propinquis
Diuulſos alio ſub ſole ſeneſcere, gentes
Inter inhumanas, & linguâ, moribus, omni
Diſſimiles vitæ cultu. Sulmone creati
Quanta hinc materies elegis? Dolor ipſe canenti
Ingenium facit, & maior, quia triſtis, Apollo eſt.
Naſoni Senecam, Sapientem opponere vati
At licet. O, patrio, vitam, ſecluſus ab orbe,
Vitalem quicunque negas, terſura parentis
Quæ miſeræ lacrymas Cyrneo nobilis exul
Condidit incluſus pelago, monumenta reuolue; (a)
Non ſpernenda tui inuenies ſolatia casûs.

39. Exul es. An genus id pœnę nunc noſcere primò
Incipis? An ſolus comprendi hoc nomine cenſes?
Quilibet, ætherei dias vbi luminis oras
Attigit, in miſerum confeſtim naſcitur Infans
Exilium, longè cognatis deuius aſtris.
Vnica, ſi neſcis, Mortali Patria cælum eſt:
Illic certa domus, generiſque exordia noſtri.
Quid refert, hæc, illa colas an littora? Quovis
Tantundem Superi terrarum cardine diſtant.
Exilium mutare tibi, haud indicere poſſunt
Hoſtes, haud patrio te pellere longiùs axe.

40. Exul es. Antiqui cunabula ſcilicet ortùs
Nulla vides, neque carpis adhuc, quas aduena vitæ
Impuleras primis auras vagitibus. Hoc ſi
Exilium dicendum; hominum pars plurima ſponte
Exulat. An paucos videas vbicunque locorum,
Diuerſis procul aduectos e finibus? Vrbem
Subiecti caput hanc Orbis, generiſque theatrum
Humani percurre oculis. Quæ ſaxa Seriphi
Exulibus ſic plena? Ad nomina danda citentur
Si fors Romuleo veteres e ſanguine ciues;
Vix, puto, diuerſæ fuerint pars tertia turbæ.
Sed quid opus priuata ſequi monumenta? Vetuſtis

(a) *Seneca Conſol. ad Helviam.*

En etiam effuſi turmatim ſedibus ipſi
Externam populi Patriam, penitùsque remotos
Quæſiuere lares. Italo ſic littore magna eſt
Græcia: ſic Gallos Aſiæ tenuiſtis opimo (a)
Pinguia culta ſinu: ſic longum vecta per æquor
Maſſiliam Rhodano adiunxit Phocæa Iuuentus: (b)
Nec noua déeſt vltra Herculeas Hiſpania metas.
Ceſſiſſet pecudum ſqualentibus inuia luſtris
Magnâ parte ſui Tellus; ſi prima virorum
Abnuerat ſoboles gentilia linquere tecta.
Exilijs adeo debet, regione quòd omni
Iam patuit, vacuus nuſquam cultoribus, Orbis.
41. Et verò quidni pudeat, fuſi vndique circùm
Orbis in imperium genitos, natalibus aruis,
Vnius & certæ regionis limite vitam,
Non ſecus ac Gyaræ ſcopulis, includere? Trunci
An ſumus arborei, quorum qua quilibet egit
Radices primùm tellure, ſeneſcit eâdem?
Sint alijs aliæ gignundis ſtirpibus oræ
Felices: oleas hæc educet; altera linum
Plùs amet: hæc Cereri reſpondeat; illa Lyæo:
Nulla hominum generi tellus non hoſpita, nullos
Non illi tractus voluit Natura patere.
Si plures numerare domos, & prædia pulchrum
Ducimus; vna iuuat cur tantùm Patria? Cordi
Si locus eſt, quem prima dedit naſcentibus hora;
Quin placeat, quem ſors, ratioque aſſignat adultis?
Exulat infelix, totius transfuga Mundi,
Anguſtis glebæ ſpatijs qui clauſus auitæ,
Perpetuò ſedem fouet, ac circumſpicit vnam.
42. At locus exilij ſubtriſtior. Eſſe paternum
Id tibi finge ſolum; ridebit protinus. Iiſdem
Indigenæ tecum certè veteresque coloni,
Haud, reor, exigui numero, verſantur in oris:
Hosne etiam patriæ regionis pœnitet? Omni

Quin

(a) *Liuius lib.* 38.
(b) *Strab. lib.* 4.

Quin illam præ ſede putent cæloque colendam.
Nec fors illuſi genio, atque errare volentes:
Nulla etenim tam prorſus inops damnataque tellus,
Quin eadem proprijs iactet ſe dotibus. Arua
Hic ſegetum ieiuna; poli ſed purior hauſtus.
Iuppiter inclemens alibi cælumque paluſtre;
At placidi regnant mores, & mitia gentis
Pectora. Non illic pecoris, non copia lactis;
Penſabit vacuam felix vindemia mulctram.
Turba minor; tantò libertas plenior. Auri
Fulgor abeſt; aberunt auri quoque crimina. Tardis
Senſibus obtuſi, atque iratâ Pallade nati
Indigenæ: Sophiâ qui tinctus, quique liquore
Labra Caballino abluerit, vix vnus, & alter.
Pulchrius id: ſine riuali, ſine puluere certam
Ipſe feres palmam, & ſubſellia prima tenebis:
Omnis, ceu tripodem, populus te conſulet vnum.
Cur quod abeſt curas, nil reſpicis obuia? Diſce
Deteriora Bonis, & damna rependere lucris.
Sub quocunque die, quocunque ſub ætheris axe
Viuere fas. Plus poſcis adhuc? Sub ſydere quovis
Viuere non tantùm; felicem viuere fas eſt.
43. Sed tenui in plagâ nimis hæreo. Carceris atri
Tempus erit latebras inuiſere. Squalidus illic
Neſcio quis miſeris vrget ſua fata querelis.
Nec tam illum (licet is fodiat quoque pectora luctus)
Fœda loci facies, clauſtriſque obnoxia mordet
Libertas; quàm quòd, Themidem ſortitus iniquam,
Damnetur ſontum pœnis & legibus inſons.
44. Vt priùs hâc animo experiar tibi vellere curâ;
Falleris egregiè, vacuum ſi crimine pectus
Innocuaſque manus momentum ſortis acerbæ,
Non lenimen habes. Morituro à Socrate fas eſt
Illuſtre oppoſiti documentum ſumere Veri.
Cecropidûm quis ſæua odia, addictamque Nocentûm
Supplicijs Virtutem, & in vno neſciat omne
Peruerſum ius faſque viro? Proh triſtia fata!

Inſe-

Infelix laniata genas, laniata capillos,
Cum gemitu, lacrymiſque, & fœmineo vlulatu,
Clamabat coniux. Quid mens ignara nocendi, (a)
Quid virtus, moreſque iuuant? En criminis expers,
Integer en vitæ, rigidi præceptor Honeſti,
Vir moreris. Sed non hos illam perdere luctus,
Propoſiti retinens, pœnâque & iudice maior
Suſtinuit Reus. Irato muliebria vultu
Reiecit lamenta: &, Num, vaniſſima, furti
Me potiùs, vel cædis, ait, pro crimine turpem
Optâris meritæ pœnam exorbere cicutæ?
Quid virtus moreſque iuuant? Vt luce peractâ
Triſte chaos Erebi, funeſtaque Tartara vitans,
Inſontem Elyſijs aſſignem cœtibus vmbram:
Vt, qui iudicio infando nil tale merentem
Addixere neci, damnandi hominumque, Deûmque
Iudicijs nullo cauſam non tempore dicant:
Omnibus exemplum venturi gentibus æui
Magnanimæ ferar vt mortis, labemque ſepulto
Hæſuram cineri, & fatis opprobria demam.
Hæc adeo recolens, indigni tu quoque duras
Supplicij ſolare vices: ſique aſpera ferre
Angit; at innocuum, releuet ſaltem, aſpera ferre.
45. Sed neq; concretis æternùm ſordibus horrens,
Nigro mæſta ſitu, viuæque imperuia luci
Sollicitet ſedes. Purâ ceu lampade Titan
Illuuiem ſtabulorum, & putri informia limo
Stagna ſubit; tetri Sapiens ſic fornicis vmbris,
Et pingui ſqualore adeo nil tingitur; afflet
Vt pretium magis ipſe loco, propriumque nitorem:
Scilicet, elapſi quo Morus gloria ſæcli
Delituit, rigido vallatus milite poſtis
Immortale viri nomen caligine turpi
Preſſerit? Haud illud, tanto tunc hoſpite plenum,
Supplicij potuit clauſtrum deforme videri:
Limen erat Sophiæ, Muſarum regia, templum
Palla-

(a) *Vide Laert. in eius Vita.*

Palladis, immenſum decorum laudumque theatrum:
Clarior ipſe vbi, quàm ſolio, tu Henrice, Britanno,
Enituit, ſacrumque iubar, latèque micantes
Nobilis exempli radios, quà peruia Soli
Orbita, Memnonium, Heſperiumque refudit in axem.
46. Quid referam, quòd mens, Noſtri pars optima, (nullo
Seu ſtringi nexu potis eſt, ſiue aggere claudi?
Dura licet corpus Vigilum cuſtodia ſeruet;
Terrarum quoſcunque ſinus, vndoſaque regna,
Altaque ſtelliferi percurrit mœnia Mundi.
Quin etiam rerum nunquam ſic libera, nunquam eſt
Arbitrij ſic tota ſui; ceu, deuia lucis
Cum mediæ à turbis ſcenisque forenſibus intra
Arcani tacitum Veri penetrale refugit.
Tunc etenim, nullo ſibi ſe rapiente tumultu,
Officijs vitæ reliquis curisque ſoluta,
Aut varias rerum cauſas, penitùsque latentis
Inuia naturæ rimatur ſemina; libris
Aut Veterum vacat; aut molitur & ipſa viciſſim
Grandia quæ ſeri voluant monumenta nepotes.
Sic Ticinenſis carcer tibi, magne Boethi,
Inclyta Cecropiæ referebat limina Stoæ.
Scilicet hìc, ſtrepitu ſemotus diuitis aulæ,
(Arctior illa bonæ quantò eſt cuſtodia mentis?)
Libera dilectis ſacrabas otia muſis.
Hìc per inacceſſos calles, humilique negatum
Vulgo iter ingenij pennis ſublimibus acto,
Syderaque, & Superos adeunti pectore, totam
Præbebat ſeſe rerum Natura videndam.
Hinc etiam, pars illa tuæ non vltima famæ,
Compoſiti Sophiâ coram dictante libelli
In medium venere diem, quos nectare dulci,
Nectare Pierio madidos informibus vmbris
Nulla vaporiferæ fuſcabunt Nubila Lethes,
Nullaque non memori celebrabunt ſæcula plauſu.
47. His igitur tantâ ſaturis dulcedine cures
Tu quoque ſi mentem ſtudijs aſſueſcere; triſtem

Ilicet

Ilicet obruerint ſenſum pœnæque, locique:
Nec tibi iam tetro cohiberi limine, dulcis
Quin Academiæ virides errare per vmbras,
Doctaque Pierij laureta videbere collis.
Ac veluti, merſis, quas lucri ſedulus olim
Vectabat pelagi nimboſa per æquora, gazis,
Eximias Zeno ſoluiſſe rapacibus vndis (a)
Naufragij optando fertur pro munere grates:
Vilibus à curis quòd ſeſe, opibusque reuulſum
Ad Sophiæ placidos portus, doctique Cratetis
Impulerant gremium: mox illum Porticus vnde
Exoſum Cynicos mores, proprijque futurum
Agminis authorem rapuit; ſic triſtibus ipſe
Acceptum latebris non aſpernabile munus
Hoc referes, quòd, futilibus diſcedere iuſſis
Nequitiæ illecebris, meliora capeſſere tandem
Compulerint, dignasq; animum excoluiſſe per artes.

48. Hactenus externæ contra molimina ſortis,
Et ſceleris rabidos mentem firmauimus auſus:
Naturæ propiora ſequar iam vulnera. Primum,
Nec mora, Bœoti craſſus ſtupor ingenij ſe,
Pancratio factis ceruicibus, auriculisque
Tempora vix non tota hinc, inde vmbrantibus, offert.
Margitæ faciem agnoſco: nec forma repugnat
Interior. Socij vix effudere quadrigas
Carceribus; mecumque tenent: tu, verbere multo
Ignauum fruſtra pecus, & calcaribus vrgens,
Palladio reſtas poſtremus in æquore puluis.
Sanguis iners, gelidi ſenſus: non mentis acumen,
Occultas liceat qui rerum attingere cauſas:
Eloquij non vena fluens, non lætus ad artes
Impetus Aonias, Phœbique capacia corda.
Et licet extremi nil indefeſſa relinquat
Sedulitas operis, duram tundensque, retundensque
Ictibus incudem aſſiduis; conamina venti
Diripiunt, vaniſque perit labor irritus orſis.

Docta-

(a) Vide Laert. in eius vita.

Doctarum nam quidquid opum meditansve, legensve
Pectoris in gazâ ſtipaueris, ocyùs vndæ
Inſtar abit, vacuis repetunt quam Belides vrnis.
49. Egregium, fateor, munus Natura negauit.
Tolle animos tamen: hoc quamvis ſine munere, felix,
Parua loquor: potes his etiam felicior ipſis
Degere, queîs puri viuaces ætheris hauſtus,
Queîs animi florem, & potioris ſemina flammæ,
Seque adeo tenui totam ſub pectore Pallas
Miſcuit. Eximijs raro ambitioſa cupido
Non comes ingenijs: nec plurima ſcire videtur
Sat pulchrum, niſi Scire tuum ſciat alter. At iſta
In venas vbi lapſa lues; quæ gaudia, quosve
Iam liceat ſolidæ fructus decerpere Pacis?
Pulſa quies: tedis flagrantibus æmulus inſtat
Vſque calor: longè requies. Spes hinc, timor inde
Alterno quatiunt ſibimet contraria motu
Pectora. Certamen, quo non operoſius vllum,
Perpetuò miſeris ſudandum: prima referre
Dum loca, riualis tantoque ex agmine turbæ
Nullum non famæ in ſtadio ſuperare laborant.
Nequicquam. Eloquij cenſu Hic eſt ditior: Ille
Promptior ingenio: doctrinæ faſcibus Alter
Eminet: Hunc procerum cœtus numeroſior ambit:
Declamantem Alium pleno conferta theatro
Suſpiciunt, reſonis & plauſibus agmina tollunt:
Quæ dedit Ille typis vigilata volumina famæ
Plus referunt, crebroque magis lectore teruntur.
50. Vt procul inuidiæ, procul ambitionis amarus
Sit furor; ipſa fames Veri, augendique paratas
Mentis opes nouus vſque, & inexaturabilis ardor
Anne leuis ſtimulus, tot adhuc intacta recludi
Nusquam omnis Sophiæ cernentibus æquora: tantò
Maiores iam collectis occurrere gazas:
Vltima nulla immenſi operis faſtigia: nunquam
Non ſimiles ſeſe tyronibus: vndique vaſtum
Creſcere iter: refugos portus, ſemperque petendi
Plus

Plus aliquid? Tam duro hic certè pectora morſu
Splendidus abſumit dolor; vt vix altera vitæ
Occurrat ratio grauioribus anxia curis:
Lætius & pingues inſulſi ruris alumni
Sæpe trahant æuum, quàm Palladis, Aonidumque
Ingenioſa cohors. Adeo per pabula vires
Ægra capit ſitis: &, quantò quis doctior; idem
Tantò plura ſibi neſciri, pluraque ſentit:
Quæ neque mortali fas ſit comprendere captu
Omnia; nec, ſi non plenè obtineantur, in vllo
Limite ſollicitis requiem contingere votis.
Viderat id, mendax non ſemper, Fabula: ſacri
Dum raptorem ignis, diuinaque munera terris
Importare auſum, & mortali iungere limo,
Caucaſeæ nudum cecinit præbere Volucri
Viſcera, in aſſiduam ſeſe reparantia pœnam.
Æthereas arces peruadere, raptaque Soli
Deuehere in terras cæleſtis ſemina flammæ
Haud aliud (Veri ſi quid mihi gnarus Apollo)
Innuit; ac, Sophiæ penetralia mente volucri
Ingreſſum, populis deprenſa Arcana referre.
Quod qui conetur, (Proh triſtia nobilis Auſi
Præmia!) Caucaſeo ſindi ceu vulture pectus
Sentit inexhauſti maiore cupidine Veri:
Nec ſperare licet creſcentibus otia fibris.
51. Eſto tamen, conatus & acris cura ſciendi,
Ingenijs, tineæ ritu, melioribus hærens,
Nil noceat: certè haud etiam conducere multùm
Lætitiæ ad cumulum potis eſt vitæque beatæ.
Nam quid opus varios cæli cognoſcere motus:
Omnibus euentis cauſas, euentaque cauſis
Reddere: faſtorum monumenta omnemque capaci
Pectore tranſacti ſeriem complectier æui:
Argumentorum laqueos ſeu nectere, contra
Seu nexos celeri occurſu diſſoluere: linguam
Noſſe vetuſtorum lapidum: nullam eſſe repoſtam
Vſque adeo vocem, cuius non inuia ſenſa,
Ceu

Ceu tibi germanum valeas depromere nomen:
Eloquium tereti verborum claudere gyro:
Et iam Rhetoricæ ſpatioſa per æquora pleno
Effuſum volitare gradu; iam legibus orſa
Pierijs, nexuque pedes vincire decoro?
Aerios famæ ſtrepitus, ventoſaque vulgi
Murmura quem Ratio docuit contemnere, norit,
Neſciat hæc, minimo ſanè in diſcrimine ponet.
52. Heu quibus incaſſum ſtudijs mortale fatigat
Se genus! In reliquas ſi quantum temporis artes
Conſumpſiſſe iuuat, medicandos pectoris ægri
Ad morbos, ſenſusque animi ratione regendos
(Par vbi curarum pretium) conferre liberet;
Vt facili planoque magis tunc tramite vitæ
Curreret! Vt breuius quæſitæ ad lumina pacis
Ferret iter! Quò nunc per tædia longa viarum,
Mille per ambages, labyrintheosque meatus,
Vix ſerò (atque vtinam vel ſerò) appellere fas eſt.
Quærendâ ſic materie, qua gaudeat, ipſum
Abſumit, gaudere animus quo debuit, æuum:
Quàmque frui, ſteriles mauult vſque addere fructus.
Quid per multiplices adeo diſcurritur artes?
Quò tantus labor, & ſitis infinita ſciendi?
Scire ſat eſt, Homini ſyncera ad gaudia nullis
Cecropiæ, aut Latiæ ſtudijs opus eſſe Mineruæ.
53. Quis verò ille gradum, deiecto nubilus ore,
Corripit? Inceſſus quantùm, vultusque minatur,
Fabricio ne deſiliat de ponte, verendum eſt.
Compellare hominem iuuat, atque exquirere cauſas.
Heus bone, quæ tanto miſerum ſors aſpera luctu
Exagitat? Retices? Cunctaris? Lumina vertis?
Iam ſatis eſt: miſerum ne coge in verba pudorem.
Quod petimus, certis facies tua vocibus vltro
Eloquitur, peragitque vices ſermonis imago.
Rem teneo, licet ipſe neges. Hic nempe nigranti
Concretus Meroe color, hæc tubercula frontis,
Necnon phlyctænis atque exanthemate rubro
Cor-

Corroſæ nares, breuior menſura ſiniſtri
Tum pedis, & ſcapulæ gibbi appendice tumentes,
Cur tibi diſpliceas, faciunt, cur ora December
Veſtiat, imbriferâque oculi ſe Pleiade ſoluant.

54. At videſis, toto quàm tramite deuius erres.
Hæc eadem tibi lætitiam ſuadere, bonosque
Debuerant vultus. Si tetrica namque dolori
Eſt facies; torui cur hanc impenſiùs atrâ
Nube ſupercilij horrifices? Neque ſedulus omni,
Quà licet, ingenio & niſu mollire labores?
Ira, dolor, rugæ vel pulchrum Nirea mutant.
Therſitem an deceant? Quantò diſtortior ergo
Contigerit vultus; tantò hunc diffundere maior
Cura ſit. Haud tali deſunt ſolatia formæ. (Almas

55. Turpis es. Æſopo numquid Phryge turpior?
Informi quas ille tamen ſub cortice dotes
Occuluit? Quàm pulchra animi monumenta reliquit?
Mitte queri, lepidum caput, & circumſpice, qualem
In numerum venias. Vultu male pictus opaco,
Pinguia crura tumens, Phariæque vocamen adeptus
Clematidis, magnæ populos in limina Stoæ (a)
Citticus induxit Senior. Ludibria vano
Socratis hircinæ nares, taurinaque vulgo (b)
Lumina præbuerant. Claudo quis rectior Æqui
Author Epicteto? Medij frons luminis orba
Pellæi minimum titulis geſtisque Philippi
Obfuit. Annibalem luſcum videre cruenti
Cædibus Auſonijs Thraſymenus, & Aufidus: ipſa
Talem Roma ſuo vidit pro limine, luſci
Nec, puto, ridendam faciem ſibi credidit hoſtis.
Adde his Speuſippi curuum caput, Antigonique (c)
Degeneres famæ vultus. Quis poſthuma tanti
Cenſeri doleat pars agminis? Euge: Vetuſtas
Hæc tibi nunc memoranda offert exempla: futuris
Exemplum fors ipſe olim memorabere ſæclis.

Turpis

(a) *Vide Laert. in vita Zenonis.*
(b) *Vide Plat. in Theæteto.* (c) *Sen. de Ira lib. 3. c. 22.*

56. Turpis es. Haud tibi, ſed populo. Res iſta vi-
Nec ſua formoſo blanditur Adonidi; toruũ (dentûm.
Nec ſua Cyclopem facies deterret. Vterque,
Triſtia, læta, Alijs tantùm ſpectacula præbet.
Is doleat, ſine, qui talem ſors obuius horret:
Cui dirum facis ingratis occurſibus omen.
Vnde tibi hic luctus, niueo cui lilia frontem,
An ferrugineo pingant vacinia fuco:
Acidis, Ætnæi an venias paſtoris imago,
Nullo eſt, dum ſpeculum vites, deprendere ſenſu.
57. At ſpernere. Quibus? Vulgo nempe: omnia ſolis
Librat, mentis inops, qui ſenſibus, occiduáque
Totum hominem externi metitur imagine limi.
Hoc melius. Nullos, niſi ſanæ mentis, Amicos
Inuenies: ſocio quisquis tibi fœdere iunctus
Hæſerit, haud fluxum formæ vernantis honorem;
Virtutem, mores, animum, te diliget ipſum.
58. Turpibus hæc ſunto ſolatia. Reſtat amicâ
Nunc fouiſſe manu, lentis quos cedere morbis
Crebra valetudo, gelidus præcordia circùm
Sanguis, & exhauſto tenues in corpore vires
Sorte ſuâ prohibent contentos viuere: tanquam
Robore vique lacertorum tranquilla parentur
Gaudia, non Sophiæ niſu mentisque vigore.
59. Vanus & iſte dolor. Quid enim? Titania mẽbra,
Immaneſque toros, & brachia Polydamantis
Sors negat. Athletam Piſæum fingere nempe
Noluit, aut duris operum te addicere penſis.
Cur ideo mens ægra? Solum ſi frangere raſtris,
Triticeas verſare molas, excidere ſaxa
Non datur, & curuo moliri pondera dorſo;
At ſuperant, quibus incumbas, meliora, viroque
Digna miniſteria. Arcanas aperire licebit
Ingenio cauſas, ius dicere ciuibus, vrbes
Conſilio regere, imperijs frænare cohortes.
Ædibus in magnis Famuli ceu munia rite
Diuerſi diuerſa, illi prout quisque, vel illi
Aptis

Digitized by Google

Aptior, accipiunt: hic à rationibus; alter
A cyathis: ſtruit ille dapes; hic limina ſeruat:
Mox alij, atque alij, ſcriba, opſonator, agaſo,
Villicus, artoptes, fullo, rhedarius, auceps;
Haud ſecus in magno, qui Regia Numinis, Orbe
Partes cuique ſuas, & idonea maximus author
Munera diſtribuit. Valido tu robore polles?
Exercebis humum foſſor: ceruice toroſâ
Baiulus excipies clitellas: aſpera miles
Bella geres. Renuunt tantos tibi membra labores?
Non deërunt, quas, affecto vel corpore, poſſis
Impleuiſſe, vices: tibi res ſit publica curæ,
Conſilium, linguam, vim pectoris exere: ritus
Sacrorum, officij leges, myſteria Diuûm
Ignaris aperi: cauſas age, iura tuere,
Prouida ciuilis teneas moderamina claui.
Officijs nemo ſic omnibus vtilis vnus,
Nec quiſquam nullâ diues producitur arte.
His caput eſſe; pedes alijs, vel brachia certo
Iure datum. Capitis voluit ſi munere fungi
Te Natura; ſuos cur inferioribus actus
Inuideas membris? Anne omnia ſolus obire,
Omnia poſſe velis? Satis eſto, ſumma tenere
Quòd licuit, primaſque refers quòd in ordine partes.
Tu fortes regis infirmus; tibi, corporis abſint
Vt reliqui vires; at deſeruire laborant.
60. Nonne vides, pretio quæ conſpicienda, vigere
Sæpe minùs: ſolido vulgaria robore niti?
Hortorum ſydus, reginaque veris odori,
Vix teneram pubem redolenti veſtijt oſtro,
Puniceoſque ſinus cælo, pompamque comantem
Explicuit; primos Roſa contabeſcit ad Auſtros:
Auſtris illa cadit, vel ſolibus: horrida meſſis
Interea, tribuli, lappæque, & carduus aſper
Camporum per aperta vigent impunè, nec illos
Seu rapidi ſoles, nimij ſeu læditis Auſtri.
Apenninigenâ quid firmius ilice, ſæuos

Ventorum durare auſus, hyemiſque rigores?
Nec tamen humanos victus iuuat illa, ſecundis,
Aut parit, imponi deceat quæ, munera, menſis.
At malum Heſperiam felici pondere curuam
Diuitis autumni (centum licet vndique ſeruet
Auriferam ſyluam vigilum tutela draconum)
Hyberni quoties flatus, triſteſque pruinæ
Vrunt, & rigidi grauis inclementia cæli?

61. Adde, quòd in vegeto vitiorũ pabula gliſcunt
Corpore, degeneratque hebeti confecta ſaginâ
Mens animi. Quæ non ſtolido molimina voto
Aggreditur, quibus vrgendis vis improba cœptis
Abſtinet? Hinc Phlegrææ acies, conſertaque tellus
Syderibus, montes aggeſti deſuper altis
Montibus, & pauidæ vaſta ad conamina nubes.
Donec ab immani reiecta potentiùs auſo,
Cumque ſuis, fruſtra emenſum per Inane, voluta
Molibus horrendum in præceps, îjsdemque ſepulta
Et cælo meritas pubes temeraria pœnas,
Et terris, Superos ne impunè laceſſere quiſquam
Poſſe putet, dedit exemplum memorabile. Vires,
I nunc, indomitas, roburque expoſce ſuperbum.

72. Æquior illorum gemitus, quos lucis egentes
Perpetuùm ſqualens, nullique domabilis aſtro
Plusquam Cimmerijs nox circumplectitur alis.
Sed tamen his pariter ſua ſunt collyria, ſortem
Queis miſeram, triſteſque ferant moderatiùs vmbras.
Nempe dies oculos ſi fugit & aureus æther;
Vnà etiam ingrati occurſus, & dira videri
Spectra latent. Nuſquam ſtricti Mauortia ferri
Lux aciem, nuſquam criniti ſyderis horror
Vulnerat, aut piceis prorupti nubibus ignes.
Non maris inſani rabiem, non ſaucia fœdis
Corpora vulneribus, putrique fluentia tabo,
Non, quæ ſæpe venit letho funeſtior ipſo,
Inſtantis faciem coguntur cernere lethi.

63. Iam quantum lucis pretium fatearis adempte,
Obuia

Digitized by Google

Obuia tot ſcelerum irritamina, tot male blando
Mortiferas viſu peſtes neſcire? Doloſis
Heu quoties oculi captiuam in retia mentem
Illecebris egere? Lues quàm ſæpe nefaſti
Criminis hoc aditu in cordis penetralia fluxit?
Fortunati equidem, qui Viſa nocentia, preſſis,
Quandocunque locus monuit, tranſcurrere norunt
Luminibus: Siculi ceu monſtra canora Profundi
Ceratis vitaſſe cohors Ithaceſia fertur
Auribus. Hic multò ſed fortunatior, omnem
Cui genus id curam facilis Natura remiſit:
Quique fores animi non, anxius hoſte propinquo,
Tum demum trepidè obſtruere ac munire laborat;
Vſque ſed æterno obſtructas munimine ſeruat.
Si, Cæcos qui ſponte imitantur, crimina vitant;
Commodiùs quantò Cæcus vitauerit ipſe? (rixæ,
64. Quid memorem, ſcelerũ quòd pars non vltima,
Furta, doli, cædes, totque his affinia probra,
Abſque oculis, animi ducibus operumque miniſtris,
Inuia tentari? Non vt modò lumine caſſis
Peccandi ſtudium; ipſa etiam prope copia deſit.
65. Sed neque me leuiùs compendia frontis opacæ
Illa mouent, nullis venientũm extrinſecus icta
Mens quòd imaginibus rerum, formiſque caducis,
In ſeſe penitùs conuertitur ipſa, ſuasque
Liberiùs promit collecto robore vires.
Iamque, memor, percepta olim, & ſub pectore fido
Condita naturæ Verique Arcana reuoluit;
Iam noua, progrediens ſenſim, ratione ſagaci
Eruit, & varias agilem ſe mittit in artes;
Ardua iam ſuperans audaci ſydera niſu
Iungitur ordinibus Diuûm, rerumque ſupremum
Authorem nitidâ immenſæ caligine lucis
Arcentem viſus (Mortali attingere quantùm
Fas Superos, noſtriſque patet conatibus æther)
Aſpicit, & primi ſe paſcit imagine Pulchri.
Quæ paria his tellus, pontusve, aut mobilis aer
Lumi-

Luminibus præbere queant ſpectacula? Formas
Nos humiles, pingui concretaque corpora limo
Cernimus; auguſtæ ſpecies, diuinaque Cæco
Panduntur ſimulacra. Anguſto limite noſter
Clauditur obtutus; ſepiri neſcius vllis
Finibus immenſi volat ille per auia Mundi.
Fas oculis tantùm præſentia tangere; ſæclis
Omnibus ille infert animum, aſpectuque ſub vno
Temporis elapſi ſeriem, ſeriemque futuri
Colligit. Externo rerum ſe cortice frontis
Paſcit hebes viſus; naturas ille repoſtas,
Clauſtraque vel Phœbi radijs imperuia luſtrat:
Vt non immeritò Diuûm præſagia, vatis
Finxerit Ogygij tenebris patuiſſe Vetuſtas.
Luminis orbus erat. Nemo cæleſtibus alter
Aptior alloquijs, longique capacior æui.
66. Et craſſæ iubar hoc lucis, Mundique iacentis
Exiguum, ac pecudum vulgo commune theatrum
Corporeis vetitam ſe attingere ſenſibus, ægra
Mens queritur; tantò meliori luce rependi
Nubila cum frontis ſoleant, potioraque tantò
Luminibus clauſis animus ſpectacula cernat?
Non ſic Abderæ ſapiens, qui, penè reuulſis, (*a*)
Dum toties ridenda videt, pulmonibus, & iam
Ludicra pertæſus vani proſcenia vulgi,
Æternùm Soli dixit lucique valere:
Proiectisque libens oculis, tranquilla recepit
Sepoſitum ſeſe in puri commercia Veri.
Vſque adeo haud miſeros externi luminis orbos,
Felices potiùs ſed credidit, inque videndos.
67. Fortia nunc locus, inprimisque valentia poſcit
Pharmaca: lethifero manus eſt adhibenda dolori:
Firmandusque animus, lanienam vt corporis inter,
Dum podagræ ſæuit rabies, dum calculus atrox
Intima crudeli carpit Vitalia morſu,
Diraque barbaries ferro graſſatur, & igni;

G Læti-

(a) *Gel. lib.10. cap.17.*

Lætitiam ſtabilem, ſecuraque pectora ſeruet.
Durum opus, & quo vix aliud Sapientia maius
Audeat. Hìc animis opus, & conamine toto.
68. Non tamen, vt cladis ſenſum vel neſciat icta,
Vel nullo referat virtus, ceu neſcia, motu.
Quanquam etiam tanti ſpectacula rara vigoris
Plurimus Auſoniæ exhibuit gladiator arenæ. (a)
Voſque o, vos adeo plùs rara dediſtis olympo,
Ætherei pugiles, fortiſſima pectora, cæli
Indigetes nunc, terrarum miracula quondam,
Atque erebi formido: hilari quos barbara vultu,
Pro Chriſti imperio, pro Relligionis honore,
Supplicia excipere, inſultare doloribus, irâque
Hoſtili, & ſacræ paſci dulcedine mortis
Nequicquam indignantûm animis, vinciq; frementûm
Carnificum attonitus ſtupuit furor. O adamante
Incidenda perenni! O ipſis digna notari
Syderibus virtus! Huc albos, Fama, iugales,
Huc omnes conuerte tubas. Quid murmure tanto
Regulus, ambuſtæque immotus Scæuola dextræ
Tollitur? En Mundi meritos conſumere famam,
Cæleſtes heroas, & heroum phœnicas:
Integra quos laceros, armata expauit inermos
Barbaries: ludus queis vulnera, gaudia pœnæ.
Hos Helicon, Pinduſque ſonent: his nectere frontem
Ambiat, & tota in ſertum ſe nectat Idume:
Hos Hyperionio ſublimes gloria curru,
Innumeris Laudum pleno circùm ore ſonantûm
Agminibus cincta, & Plauſuûm Decorumq; ſequacem
Pone trahens turbam, per ſubdita regna, per vrbes,
Perque reuerſurum aſſiduè circumferat æuum.
Sed vigor is rarum cæli, & mirabile munus,
Nec noſtræ portenta docent, ſed pharmaca muſæ.
69. Per me equidē Sapiens hominē non exuat: artus
Contrahat, in gemitum laxet præcordia, rectos
Immutet vultus. Miſerum ſe dicere tantùm,

Fœmi-

(a) *Vide Cicer. lib. 2. Tuſcul.*

Fœmineoſque, Malis impar, effundere queſtus,
Temperet. Inuicti gemitus, & maſcula duri
Pectoris ex adyto reſonent ſuſpiria: qualem,
Afer vbi toto deſcendit in ilia ferro,
Horrendis animam ſingultibus exhalantem,
Luctantemque Malis, & adhuc in morte minacem,
Maſſili trepidant nemoris Conuexa leonem.
Denique triſtis hyems vultus (hac vſque dolori
Fas prodire) tegat; frontis ſub nube ſerenus
Interiora dies teneat: corpuſque caducum
Deficiat; mens nixa ſuo ſibi robore conſtet.

70. Nec ratio procul, id liceat quì ducere robur.
Vel ſiquidem parcente manu ſua ſpicula torquet;
Vel totis dolor aduerſum ſe viribus infert.
Si primum; pudeat mediocria vulnera, quæque
Vix ſummam ſtrinxere cutem, Sapiente, Viroque
Indignis deflere modis. Vbi fortia dicta?
Pectus vbi Sophiæ inuicto munimine clauſum?
Non aries ſæuus, non, quem Telamonius Aiax (a)
Miſit in aduerſum tormenta æquante lacerto
Priamidem, lapis, Herculeis aut viribus acta,
Monſtrorum exitium, claua, exitiumque gigantum;
Iunceus imbelli calamus te cuſpide ſternit.
Vel tenuem queſtu iuuat exatiare dolorem?
Exatia: ſed, quò deceat conuertere queſtus,
Diſce prius. Querere exiguo in certamine perdi
Nequicquam factos bella ad maiora lacertos:
Nil Meriti laudiſque capax occurrere: Sorti
Plus nimiò te deſpectum, viſumque puſilli
Bellatorem animi, cui tam vulgaria fata
Obtrudat vincenda. Hinc cauſas nobilis iræ
Duxeris: hic dignus Sapientis pectore luctus.

71. Sin nimium contra certamen, vique ſupremâ
Res geritur; bene ſit: Sophiæ non limina nullo
Triuiſti pretio: quæſiti plena facultas
En decoris: quod Palladiæ inter gymnadis vmbras

(a) *Homer. lib. 7. Iliad.*

Digitized by Google

Sis nactus, medio licet in diſcrimine robur
Promere. Sat dictis huc vſque animoſus & acer
Fata laceſſiſti parcentia. Tempus agendo
Virtutem ſancire, & factis verba tueri.
Id Superi de te expectant, hominesque: tabellis
Id tua ſignatis repetit ſapientia. Paruis
Non licet in rebus conſiſtere. Maxima quæque
Ni præſtas; reus es famæ, vitæque prioris.
72. Reſpice & authorem fati. Non barbarus hoſtis,
Ipſe Deus, Deus ipſe ſuâ, pater æquus, amanti
Te ferijt dextrâ. Anne illum vitæque Bonique
Supremum artificem indignis gaudere Suorum
Luctibus: an, crudi Læſtrygonis inſtar, acerbis
Funeribus cenſes & viuo ſanguine paſci?
Vulnerat, vt proſit: ſceptri ſunt pignora clades:
Iridis æternæ riſus e nube fugacis
Mæſtitiæ parit. Ac veluti, ſpirante metallum
Impleuiſſe Deo meditans, lectiſſima, ſeu quæ (a)
Delos habet, ſeu Myrmidonum quæ Patria, doctis
Exudare Myron fornacibus imperat æra,
Non odio, ſed materiæ melioris amore:
Vt rutili patiens tortoris maſſa verendos
Tranſeat in vultus maieſtatemque Tonantis,
Artificisque, ſuumque decus fulgentibus aris
Inuehat, & longè ventura in ſæcula mittat;
Æthereus ſic ille faber, peiore metallo
Compoſitos, vulgare genus, venæque ſecundæ
Præterit: egregios, Diuinorumque capaces
Triſtibus imperijs ſubigit, verſatque premendo,
Dum ſeſe penitùs dignos effingat, & omni
Corporeâ terſos ad purum fæce, beatis
Cœtibus adſcribat Superûm. Quis vulnera tanti
Horreat auſpicium decoris? Sæuiſſimus vt ſit;
Iam celeri fugiet curſu dolor: ocyùs ille,
Qui grauior: nullâ ſed tempeſtate, dolores
Quam refugi pariunt, Diuûm eſt ceſſura voluptas.
Æter-

(a) *Vide Plin, lib. 34. Hiſtor. nat. cap. 2.*

Digitized by Google

Æternùm, piguit quæ ferre, tuliſſe iuuabit.

73. Vltimus ille labor vati, trepidantia corda
Soluere vicini miſerâ formidine lethi,
Et, reliquis vitæ domitis iam caſibus, ipſam
Quæ ſupereſt, ſimili mortem duxiſſe triumpho?
At quibus inuiſum, & nulli ſuperabile monſtrum
Vincetur telis? Num, qui te, cærule Python,
Explicuit, longè iaculantis Apollinis arcum;
Anne colubriferæ tepefactam cæde Meduſæ,
Horridior peſtis, Cyllenida ſentiet Harpen?
Nil opus. Ex ipſis præſens medicina venenis
Ad virus fatale fluit. Quos hactenus hoſtes
Pertulimus, cuncti hæc ſociant in prælia vires,
Cuncti armis opibusque iuuant. Si namque Malorum,
Queis adeo humani ſeries circumfluit æui,
Supremus mitisque venit, Mors, terminus; illa
Qui timet, hanc minimè flendam ſibi duxerit: æquum
Ad tumuli gremium nihilò quin ſeciùs ibit;
Ac qui, turbinibus ventisque furentibus alto
Pulſus in Ionio, vel ſpumifero Ægæo,
Eminus optatas cæca inter Nubila terras
Aſpicit, & fido properat ſe condere portu.
Et verò quod Myrtoi, Icarijve Profundi
Indomitis adeo ventorum flatibus æquor,
Fortunæ vt rapidis iactatur vita procellis?
Luctus vbi, curæque, inconſumptique labores
Vndique perpetuâ miſeros indagine claudunt:
Nulla quies: longè portus: plena omnia monſtris,
Vorticibus, ſcopulis: nuſquam non multa Charybdis,
Scyllææque canes, & concurrentia ſaxa.
O penitùs ſortisque ſuæ, vrgentumque Malorum
Immemores, quibus, hæc inter diſcrimina, Parcæ
Plùs nimiò celeres, & portum tangere pœna
Ducitur, haud pœnæ requies, optandaque finis.

74. Biſtonidæ meliùs, dilectæ funera prolis (a)
Ad citharam quibus, & lætos producere plauſus

(a) *Herod. lib. 5.*

Mos erat: egreſſos cum contra in luminis oras
Luctiſono gemitu, & flebilibus lamentis
Exciperent, nempe ad lacrymas, & funera natos.
Iure equidem. Tot enim momenta in ſingula duris
Caſibus hic luitur perituri temporis vſus;
Protinus exortis vt ſi Mortalibus æui
Tota ſui fatique daret ſe forma videndam;
Crediderim, pauidos retro ad genitalia clauſtra
Ocyùs infauſto raperent à lumine greſſus:
Illius exemplo pueri, quem priſca Saguntus, (a)
Vixdum luce ſalutatâ, genitricis in aluum
Expauit remeare, omen ſibi cladis, eodem,
Primitiæ Libyci Martis, quàm pertulit anno.
75. Iratos igitur vitæ, mortisque pauore
Attonitos iuuat his affari vocibus. Vnde
Tam noua, Mortales, animi diſcordia? Triſtem
Hinc proferre piget; piget hinc dimittere vitam.
Iam miſeram nimiùmque grauem; iam iuſtiùs æquo
Culpatis volucrem. Si manſerit; aſpera fertur:
Inuida; ſi fugiat. Qua veſtris, dicite, poſſit,
Qua tandem Natura Malis ratione mederi?
Dum munus, Mala quo vitæ ſimul omnia tollit,
Ceu ſummum, reliquisque Malum par omnibus vnum
Horretis. Cur vota ſibi contraria pugnant?
Cur dolor eſt, citiùs cauſas tranſire dolendi?
Candida ſi fati ſeries, optandaque molli
Tramite vita fluit; ſit magnis gratia Diuis;
Carpite, io, læti felicia munera, amicam
Intempeſtiuo ſortem nec lædite queſtu.
Sin alius rerum tenor, abſinthique deunce
Obruit vnciolam blandi ſors aſpera mellis;
At gaudete, Mali quòd fæx iam proxima fundo,
Nec longè eſt, tantos quæ finiat, hora, dolores.
76. Verùm, age, nil miſerũ terreni corporis hoſpes
Vita ferat; quantum vel ſic, rogo, mortis habendum
Munus erit, vitæ quòd cælitis oſtia pandens
Erep-

(a) *Plin. lib.7. Hiſtor. nat. cap.3.*

Ereptos terris animos inducit olympo?
Non toti (procul ex animis temerarius error:
Stulta quid immerito ſeſe mens funere damnet?)
Non toti fuimus, nutantia lumina poſtquam
Ferrea nox clauſit, deploratique ſupremùm
Neruos atque cutem triſti conceſſimus vrnæ.
Nil Lacheſi diuina animorum in ſemina iuris.
Quod dederat, tellus repetit: quod fluxit ab alto
Æthere, perpetuùm cineri, taboque ſuperſtes,
Non defecturos vitam producit in annos.
O niueus! Quater o felix, gemmâque notandus
Ille dies, lutei quo mens compage ſoluta
Carceris in Patriam cognataque ſydera fertur,
Cælicolûm iungenda choris! Vt lumine puro
Veſcitur! Ingenuos vt promptiùs exerit actus!
Vt dulces agitat curas! Vt læta ſuo ſe
Reſtituit fonti! Non flamma volatilis æquè
Proſilit in patrij Conuexa nitentia cæli:
Non Tyberim pelago, aut rapidũ par impetus Iſtrum
Deuehit; ipſa ſuum vinclis ac libera ferri
Geſtit in authorem, flagrantique incita niſu,
Iungere ſeſe illi, ac penitùs miſcere laborat.
Qua, rogo, tunc igitur fruituram ſorte putandum eſt,
Flammiferos cum tandem æſtus, inhiantiaque ora
Nectaris ætherei optato iam proluet hauſtu:
Inque ſuo ſyncera bibens, immenſáque fonte
Gaudia, perpetuum paſcet lætiſſima, nunquam
Non auidi, nunquam non pleni, cordis amorem?
77. Me certè hæc animo reputantè abrũpere nexus
Ocyùs inuiſos, pigrique morantia clauſtra
Corporis, & tantæ iamdudum accedere ſorti,
Flammeus, haud capiens ſeſe, vinclisque teneri
Neſcius ardor agit. Quid enim iam longiùs inter
Tot gemitus, & viua morer tot funera, cari
Numinis amplexu, & dulci fraudatus amore?
Quo ſine tam nullam mihi fas ſperare quietem;
Mota ſuis nullum quàm ſedibus oſſa leuamen.

Accipiunt, tactusque chalybs Magneſide gemmâ
Stare negat, ſydus donec tueatur amicum.
Cælum vota petunt: cælo ſuſpirat in vno
Anxius æger amor. Neſcit, mihi credite, neſcit
Quid Superûm domus alma, procul felicibus oris
Plena ſibi ſperanda putat qui gaudia: cenſet
Aut aliam, niſi mortali quam lumine functis
Inchoat æterni Solis præſentia, vitam.

78. O mihi fatali deſponſa ſub arbore coniux,
O æui melioris ades, Mors, pronuba. Turpi
Te licet exeſam macie, nudisque rigentem
Oſſibus exhibeant pictæ mendacia telæ;
Bis raptâ venies Helene mihi pulchrior. Ipſa (a)
Quin tibi ſi geminis auſit comitata Deabus
Se formâ conferre Venus; me iudice, palmam
Continuò tibi cum geminis Venus ipſa Deabus
Ceſſerit. O adſis pulcherrima. Quas ego, tanti
Muneris, extremique potens iam denique voti,
Sic meritæ grato perſoluam carmine laudes?
Sponte ſuâ numeri venient (dant gaudia vires
Ingenio) diſcentque hilares plùs poſſe Camœnæ?
Solis inoccidui tu Phosphorus, vnica mentis
Sollicitæ requies, curarum dulce leuamen,
Votorum portus, pacis ſinus, anchora feſſis
Curſibus, & patrij limen diceris olympi.
Hei mihi quid ceſſas, & adhuc pia vota moraris?
Illis lenta veni, toto qui Neſtore, toto
Qui procul Euboici te pulueris aggere vellent. (b)
Has illi duxiſſe moras, hanc ferre iubendi
Crudelem veniam. Satient ſe triſtibus annis,
Aſpiciantque ſuos ſecum caneſcere luctus.
Inuiſo pereat cur munere, cur alienis
Mactetur votis, qui te flagrantibus vſque
Sollicitus ſtudijs vrget, venatur, anhelat:

Cui

(a) *Vide Ouid. in epiſt. OEnon. ad Paridem.*
(b) *Æuo ſcilicet Sibyllæ Euboicæ, de quo vide Ouidium lib. 14. Metam.*

Cui tu primus amor, ſpes vnica, ſumma voluptas?
79. Culpa ſed vltrices, reor, hæc ſtimulauerit iras:
Quòd, vitæ curare lues dum molior, vnâ
Non tulerim cunctis, ceu fas, ex morte medelam.
Erraui, fateor: iamque, vt ſis mitior, omnis
Te luctûs morbique vnam ſat grande leuamen
Vociferor. Vos o, crudelibus aſpera cunque
Imperijs quos exagitat Fortuna, ſupremum
Accipite hoc hilares, nulli non vtile fato,
Auxilium. Paucos vbi ſol conuerterit orbes;
En aderit, duris quæ vos mitiſſima ſoluat
Caſibus, & fido (tantum ni pergitis vltro
Corrupiſſe Bonum) ſtatuat Mors denique portu.
Hoc Superûm tanto donati pignore, longos
(Cætera nulla adſint curarum vt pharmaca) queſtus
Deſinite, & mortis ſpe triſtem abſoluite vitam.
Occiduos, facilis labor eſt, ſpreuiſſe dolores.

EVTHYMIÆ

Liber Quintus.

1 NON tamen, ad plenę felicia munera Pacis,
Fortunã ſatis, externosq; retundere caſus,
Hac operoſa tenus ratio quã tradidit artẽ.
Maior adhuc belli moles, crudelior hoſtis,
Cordibus infixæ peſtes, agnataque reſtant,
Et penitùs fibris ſtabulantia monſtra ſub altis:
Regnorum fax Ira, loci ſortisque ſecundæ
Ambitus impatiens, Veneris teterrimus ardor,
Culpaque Lernæo abſumens præcordia tabo.
2. Ah genus id Furias incauto pectore ſi quis
Excipiat miſer! Ah cupidis ſi fræna relaxet;
Quas non (exitium, Superi, prohibete) ruinas,
Turbineo impulſæ, impellentesque omnia motu
Miſcuerint? Quos non in præcipites anfractus
Infelicem animum, & ſerò ſua fata videntem
Abripient? Monumentum ingens Climeneia proles,
Ambuſtusque dies: currus implere paternos,
Frænaque mortali cupidus radiantia dextrâ
Dum Iuuenis tractare, alti per deuia callis,
Flammipedum quâcunq; vagus tulit ardor equorum,
Non rector, ſed præda ruit. Temeraria Nati
At tu conſilio moderari vota, regendos
Vecordi malles puero quàm credere, Titan,
Igniferos axes. Roſeæ pro munere lucis
En rapidà attonito ſpargentem incendia Mundo
Aſpicis: en medij reuolutum e tramite cæli,
Inuiſum populis execrandumque bidental,
Eridani toto lacrymaris gurgite. Caſus

Nobi

Non alios, non triſte minùs ſibi quisque paratum
Nouerit exitium : iuuenili feruidus æſtu
Libera præcipiti quoties moderamina tradit
Stultitiæ, nec ſolerti ratione gubernat
Indomitos animi ſenſus, effrænaque vota.
3. Scilicet ignarum Pyrois, & Eous, & Æthon,
Igniuomusque Phlegon violentiùs æthere prono
Diſtulerint Phaetonta; ſuis quàm concita flammis
Imperij frænique rudem per deuia mentem
Ira trahit? Summo, fac, vertice ſiue niualis
Abſciſſum Rhodopes, ſeu cæliferi Atlantis,
Immenſum montique parem vitioſa Vetuſtas
In præceps ſubitâ lapidem vi trudat. Vt ille
Abruptum per iter, procurrentesque minantùm
Vmbones ſcopulorum innato pondere curſum
Præcipitans, aliasque alijs e rupibus actus
In rupes, validos quatit huc ſaltus, quatit illuc!
Nec mora, nec requies. Tremit illiſu reſono mons:
Dant arbuſta locum : attoniti de colle propinquo
Paſtores, inhiantque greges, quibus irruat anceps
Exitium ſyluis, Dryadum quæ tecta refringat.
Donec, cum nemorum ſtrage, immanique tumultu,
Finitimæ vallis gremium delatus in imum
Arua cauat lapſu, focijsque, ſuisque ruinis
Latè operit. Denſus circùm vndique puluis in auras
Nigranti ſe nube leuat : procul Auia voces
Ingeminant, pulſusque fremit clamoribus æther.
Sæuior, irati quem pectoris vrget erinnys,
Effrænoque magis quæcunque per obuia fertur
Turbine, tam ſitiens alienum haurire cruorem,
Quàm facilis præbere ſuum. Non ferreus agger,
Non ignes, non ſaxa queant immanè ruentem
Siſtere. Flammato deſint ſi tela furori;
Se telum faciet, ſummis e turribus audax
Æthera per vacuum prono deſcendere ſaltu,
Subiectum, pariter frangendus, vt obruat hoſtem,
Miſceat & ſocias (ea tantùm fœdera) mortes.

Vna ſedet cordi, totam rapit vnica mentem
Vltio : cura Sui, ratio, ius, vtile, rectum,
Ingenium ſenſusque hominis, pietasque, fidesque
Funditus exturbata . Sacri per quidquid olympo eſt,
Obteſtare . Precum vanus labor : ocyùs ater
Audierit trepidæ ratis infelicia Nereûs
Vota, vel eiectos ſurda Acroceraunia nautas .
Omnia terrorum prome argumenta, luendas
Iam ſoboli immeritæ pœnas, iam publica famæ
Iurgia, iam rerum obijciens diſcrimina . Nempe
Vincetur ? Rapidum Borean, Auſtrumque furentem
Aggeſto citiùs frænaris puluere . Tanti
Omnia ſunt, clamat . Pereat res, fama, domusque,
Et ſuper ipſe . Iuuat vindictæ atrocibus auſis
Orcheſtram quatere, & tragicum meruiſſe cothurnū .

4. Quinā igitur,rogo,quàm violens triſtisq;putan-
Hic æui tenor,vſque atrum fel mandere,toruas (dus
Rerum inamabilium ſpecies, vim, iurgia, rixas,
Sanguineos chalybes, feralia vulnera, cædes
Noctibus attonitum, attonitum verſare diebus,
Inſidias pariter ſtruere, extructasque cauere,
Bacchari, fremere, horrendo recubantis in antro
Cyclopis de more, vel immanis baſiliſci,
Nulla hominum iucunda pati commercia, nulli
Fidere ? Proh miſeram ſortem ! Vitalis haberi
Anne poteſt, nullo quæ, vita, fouetur amore ?

5. Exterior facies animum depingit, & omnis
Hoc ſolet in ſpeculo ſe promere cordis imago .
Cerne truces Iræ vultus ; quàm turbida regnet
Intus hyems, quæ cæcam agitet veſania mentem,
Haud tardum fit noſſe . Flagrant, ceu dira Cometæ
Fax, oculi : torua accendit rubor igneus ora :
Nubila frons : ſaliunt venæ : fluitantia labra,
Et calidos ſpumis videas albeſcere rictus :
Mutua dens teritur : ſpiſſum vomit vnca vaporem
Naris : inæquales greſſus, crebro pede tellus
Saucia, comploſæque manus, tremebundaque ceruix .

Iam

Iám gemitu fera corda quati: iam ſpiritus æger,
Turbidus, abruptis preſſi mugitibus oris
Nil certum humanumq; ſonans. Quòd ſi qua viam vox
Repperit explanata magis; quid triſtius illâ,
Eumenidũ propius quid vocibus? Haud ſibi parcunt,
Haud ſoboli, haud Superis infanda extrema precari
Omnia. Quàm tetrum atque immanem dixeris intra
Seſe animum, cuius tam formidabilis ipſo
In vultu effigies? Talem tibi finge, mouendam
Ad Superûm qualis pacem ex Acheronte profundo
Effera Tiſiphone ruit, immanisve Megæra:
Dextera cui trifidam fumanti vertice taxum
Concutit, & ſimiles iaculantur lumina flammas:
Innumeri, toruæ crudelis gloria frontis,
Tempora ſquamiferis præuelant orbibus angues:
Parsque humeros ferrugineos, & torrida lambit
Colla, iacens; pars ad vulnus librata supernè
Erigitur, nigramque animam, piceoque veneno
Sibila tincta vomens, rapidæ micat agmine linguæ.
At iuxta geminum quatiens Diſcordia ferrum,
Et lethi furialis amor, Luctusque, Pauorque,
Diraque Sæuities, cæcoque Inſania vultu,
Inſidiæque, Minæque, cohors inuiſa, ſequuntur.
Talis, vel ſi quæ truculentior altera fingi
Forma poteſt, Iræ eſt animum verſantis imago.

6. Iam quis inhumanas clades, lugendaque peſtis
Tam rabidæ valeat memorando exempla referre?
Hinc celeres ad tela manus, colliſaque campis
Agmina, ſanguineis turbati fluctibus amnes,
Sæuitum in proceres, immiſſa incendia tectis,
Funditus exciſæ miſeris cum ciuibus vrbes,
Iusque datum gladijs, latèque per obuia ductum
Guttura, nullo æui, aut ſexûs diſcrimine, ferrum.
Quin mors viſa leuis, naturaque tota ſagacis
Barbariæ ingenio, & lentis ſeruire coacta
Supplicijs. Proh quæ (tantum neſciſſe fatentur
Eumenides, purgantque ſuas hoc crimine tedas,

Nec

Nec pudor eſt vinci) proh quæ noua funera, quaſque
Infandas hominum, ah hominum furor extudit artes!
Quæ natura dedit, pardi, Libycique leones,
Stringitis arma. Procul torquendi inſana voluptas:
Extremæ quamvis, mors vnica ſufficit iræ.
Quin citiùs rabies, fuerit quò immanior, explet
Illatâ ſe cæde. Vtinam ſæuire liberet
(Huc feritas quando iam triſtia vota redegit)
Sic homini. Sed præcipitis compendia lethi
Muneris ille loco ſtatuit, damnatque Ferarum,
Ceu mactare rudes, iras. Laſciuia tardi
Funeris arridet: virtus hæc maxima, primus
Hic labor, & ſtudium, Libitinæ obtundere falcem,
Et, vitam quibus eripiat, ſuſpendere mortem.
Mens adeo, brutum antêimus quo munere vulgus,
Nil ſuper irato præſtat, niſi degener vt ſit:
Hòc homini magis, & Brutis truculèntior ipſis.
Ergo Alius (Pietas, Naturaque, parcite vati:
Impia, dira canam) ferrato pectine ſulcos
Vndique ſanguineos iterans pendentia carpſit
Corpora; damnatis alius potabile lethum
Miſcuit ignito liquentis gurgite plumbi.
Hic pice perductos, inſuètæ ad lampadis vſum,
Longa profanatis iuſſit dare pabula flammis,
Attonitamque rogo viuenti frangere noctem.
Quid compulſa loquar ſæuire cadàuera, putres;
Amplexus, vitamque neci per triſtia iunctam
Fœdera? Quid plenos Natorum funere patres,
Et conſanguineos tumulos? Non, ſi mihi centum
Ænea Stentoreis reſonarent vocibus ora,
Ingeniumque, fluens rapido torrentiùs amne,
Spumea Mæonijs in carmina fontibus iret;
Tot ſcelerum immanes auſus, tot barbara monſtra
Expediam cantu, & dignis ploratibus æquem.

7. Nec tamen, externis funeſtans cædibus Orbem,
Nullos dira lues caſus, non vltima ſæpe
Fata ſibi, peperitque Suis. Lectiſſima bello

Agmina

Agmina cum ſignis quoties amiſſa : trahendi
Dum ſapiente mora certaminis impatiens dux
Haud dubias, cæco auſpicium faciente furore,
Irruit in clades ? Quoties temeraria verba
Per iugulum rediere, animâque & ſanguine toto
Conſtitit ardenti retinacula ſoluere linguæ ?
Ira furor breuis eſt, Venuſino iudice : longi
Non ſemel in morbum ſed tranſijt illa furoris.
Exemplum Telamone ſatus : cui cæca phreneſis
Interitum, cæcam violens tulit ira phreneſim.
Ergo minor mentis, nec iam ſuus, edita campis (a)
Plurima Balantûm poſt funera, Dulichiumque
Riualem vanâ pecoris ſub imagine cæſum,
In ſua lethiferum præcordia condidit enſem.
Quid referam, medio penitùs quêis corde recepta
Vis eadem, indocilisque premi, ceu turbidus atræ
Qui tegitur gremio nubis vapor, obvia quaſſu
Fulmineo fragilis vitæ penetralia ſoluit,
In lethum ſatis vna ? Acri ſic feruidus æſtu
Dum furit, & male ſe capientem Sylla tenere (b)
Nec longùm potis eſt rabiem, neque protinus omnem
Egerere ; abrupti per diſſilientia clauſtra
Pectoris, & laxos venarum atque oris hiatus,
Sanguine miſtam animam, furijsq; minisq; frementem
Euomuit : dubium foret vt ſpectantibus, ecquid
Syllæ vita prior ; prior an defecerit ira.
Dignum equidem factis retuliſti, barbare, lethum,
Indigno dederas qui tot ciuilia letho
Corpora. Debueras proprium vomuiſſe cruorem,
Cum Latio toties macularis ſanguine Tybrim.
Quæ ſcelus, ira, tuum fuerat, fuit ipſa nocenti
Supplicium. Non Tiſiphone, non Cerberus, aut, qui
Immortale iecur Tityi depaſcitur, ales
Sæuior hac, tantisque foret par cædibus vltor.
Credite, poſteritas : Syllanâ iuſtior ira

Nulla

(a) *Vide Sophoclem in Aiace Flagell.*
(b) *Valer. Max. lib. 9. cap. 3.*

Digitized by Google

Nulla fuit: Syllam grauia atque extrema furentem
Perdidit. Immanem vix non abſoluere cogor
Horrendamque luem. Quantumlibet impia cladis
Humano tulerit generi, tot millia ferro
Dum metit; haud minùs humanâ de gente mereri
Fòrs potuit, Syllam letho dum ſuſtulit vnum.

8. Et genus hoc vitij tetrum, longèque videri
Implacidum, qua vi humanos, quo turbine ſenſus
Miſceat, ex ipſo pronum dignoſcere vultu.
At non perſpicuum pariter, quàm lampade ſæuâ
Heu miſeras vrat Cythereia flamma medullas.
Nam quid ibi non nectareâ dulcedine tinctum?
Blanditiæ molles, incendia grata, lepores
Idalij, faciles riſus, genialia ſerta,
Lætitiæ flos ipſe, voluptatiſque medulla.
Id teneri certè ſperare Cupidinis ætas,
Id vultus, placidæque iubet clementia formæ.
Nulla ſupercilij nubes, nil fronte ſeuerum,
Nil habitu. Puer eſt, quo non ſpectatior alter,
Ingenuus, comis, ſimplex: certantia puris
Lumina ſyderibus: labris exundat Hymettos,
Hyblæusque latex: totam ſyncera Venuſtas
Purpureo Nati deſcripſit in ore parentem.
Et vehitur iunctis ad gemmea fræna columbis:
Et, quamvis nunquam non ſpicula tractet, & arcum;
Aureus eſt arcus, perfuſaque ſpicula melle.

9. Sed procul o, ſi quæ, miſeri, vos cura ſalutis,
Si Veſtri quis amor tangit. Sub melle venenum,
Peſtanis Libyci fallunt ſub floribus angues.
Scitulus hic, tanto formæ blanditur honore
Qui, puer (ah oculis malè tutum credere) monſtrũ eſt,
Monſtrum horrendum, atrox, quo non funeſtior vlla
E Phlegetonteis olim ructata caminis
Pernicies liquidas cæli prorupit in auras,
Cognatique erebi miſero plus intulit Orbi.
Splendida fucatam nudent Inſignia frontem;
Gorgonei rictus, furialiaque ora patebunt

Protiis

Protinus, & Stygijs vndantia lumina flammis.
Falſus honos: rutili per eburnea tempora cirri
Vipereos vmbrant nexus: ſquamoſa draconum
Pectora ſunt molles ad gemmea fræna columbæ.
Væ, cui pennigerâ violarit arundine pectus
Ille nitens roſeæ in ſpeciem Thaumantidis arcus.
Quale trahet ſubitò virus? Quantum oſſibus ignem,
Tabida quæ furere arcanis contagia fibris
Sentiet? Hinc frontis pallor, maciesque genarum,
Et varij vultus, defixaque lumina terris,
Luctantemque animam ſuſpiria crebra fatigant.
Attonito ſimilem videas, ſimilemque furenti:
Iam rapido ferri ceu turbine; figere mota
Iam, velut obiectu ſubito, veſtigia: rarus,
Et gemitu abruptus ſermo: commercia vitat,
Dimidius vel adeſt, facieque abſentis, in vmbris
Seceſſuque cauo nemorum ſeſe ipſe, ſuasque
Crebrior affari curas. Non otia ludo
Fallere, non ſpiſsâ virides indagine ſaltus
Cingere, non Graijs iuuat inſudare palæſtris.
Strati dura quies membris: nil dulce palato:
Difficiles ſomni, longiſſima tempora, noctes
Implacidæ, nigrique dies: mens corporis exul,
Dulcibus officijs vitæ ſemota, Suique
Deuia. Veſanos ne quiſquam credat Amantes
Ludere, dum querulis toties ploratibus vno
Ætnæas ſe ferre ſinu brumasque, facesque,
Et iam perpetuo ſibi vulture diminui cor,
Iamque Ixioniâ iurant vertigine volui.
Nil animus veris, nil heu cruciatibus addit:
Certa fides: non ingenij; ſunt verba doloris.
Dum nimij rapidos explere Cupidinis æſtus,
Et ſummo properant votorum fine potiri:
Dum, vice ne iuſtâ redamentur, mutua ne ſint
Cura, timent, neu riualis felicior ægri
Fòrs ſibi præripiat fructum, aut delibet amoris;
Dicere vix vlli promptum, quæ corde ſub imo

Pœna-

Pœnarum miſeri exempla, & quæ Tartara cludant ?
10. At morbi fòrs languor iners, ſoloque veneni
Deſidis afflatu, & ſegni marcore timendus.
Fallimur. Haud peſtis violentior altera cædes
Per medias hominem, per tela inimica, per ignes
Præcipitat, ſtimulisque agitans, & verbere torto,
Vltima quæque iubet cæcum neſcire pericla.
Illius impulſus furijs, de nocte profundâ
Nil timeat nudo iuuenis ſulcare natatu
Bosphoreas hyemes: totum licèt horridus Auſter
Suſpenſum liquidis aduerſa natantis in ora
Montibus impellat mare: formidentque vel ipſi
(Tam violens decimæ circumſilit impetus vndæ,
Tale ciet murmur, ſic ſpumeus æthera lambit)
Natiuâ immanes ſcopuli ab radice reuelli.
Sub pedibus ratio, nusquam timor, omnia fœdam
Poſt Venerem. Indomiti tantùm ſe pectoris ardor
Expleat: id fixum, & quavis mercede parandum:
Cætera pro vili, quòcunque vocauerit anceps
Alea, ſupremis irrumpere caſibus, atras
Bellorum ſparſiſſe faces, excire quietos
In ferrum populos, florentia vertere regna,
Luctuque, & rapidis miſcere tumultibus Orbem?
11. Nonne vides, vt ſtare negans exundet equorum
Impetus, hæc ſimul in cæcas vis lapſa medullas?
Ac neque iam ſcopuli, neque ſæua ruentibus obſtent
Flumina, quæ veteres ſyluas, quæ ruſtica tecta,
Dimidiasque rotant ſpumanti vortice rupes?
Tunc vrſis furor inſolitus: truculentior errat
Tunc campis leo: tunc ſerpentum immanior ira,
Et gemino feruent præcordia tincta veneno.
12. Proh rabiem cæcam! Humanæ tot funera vitæ
Quæ parit, obſcœnis populatur corpora morbis,
Seruitio infando miſerâque tyrannide mentes
Obruit, eximium famæ præſtantis honorem
Turpibus opprobrijs maculat, ius omne reuellit,
Æthereos ſenſus, & diæ ſemina flammæ

Inte-

Digitized by Google

Interimit, genitumque poli ad commercia putri
Cœno hominem mergit. Quid par Ææa nefandis
Carminibus Circe, vel triſtibus auſa venenis?
Corporis illa habitum (vt verax ſit fabula) brutos
Induere in vultus, Superisque erecta tuendis
Ora ſolo potuit reflectere: ſæuior, ipſam,
Circe, acclinat humo mentem damnoſa libido,
Totumqve in pecudes hominem dirâ arte refingit.
Ah non ex nihilo maciem, lethumque, laboremque,
Impia furtiuæ poſt munera lampadis, ægro
Incubuiſſe ferunt Orbi. Si vera fatendum;
Hic ignis fuit ille: omnis comitata Malorum
Hunc ſeries. Longè tamen, vt de ſedibus hauſtus
Credatur ſuperis: tetro quin ſulphure pinguem,
Et picei glomerantem vndoſa volumina fumi
Tartareus Phlegeton ſuperas in luminis oras
Euomuit: noſtroque luto admouere ſorores
Anguicomæ, ne quid tellus differret auerno.

13. At quænam aerijs hæc turgida plauſibus, inter
Illuſtres decorum phaleras, titulosque ſequaces,
Admiranda Sui vulgo diſpenſat hianti
Lentiùs ingrediens ſpectacula? Fallimur? Ipſa
An laudum famæque ſubit ventoſa cupido?
Ipſa ſubit certè: non fallimur. Aſpice, quantâ
Cyclade verrit humum, quantam fert ardua frontem.

14. Ne tamen ignarum fallacis imagine pompæ
Te capiat. Vitio nil immanſuetius illo,
Nil magis EVTHYMIÆ libertatique cauendum.
Nam qui Trinacrias vrbes, vrbesve Pelasgas
Seruitij grauiore iugo preſſere tyranni;
Ac ſibi deuotas crudelis gloria mentes?
Diuitijs miſerum nudari. Nudat alumnos
Illa ſuos, per magnifici diſpendia luxûs,
Quantoscunque breuì conſumere prodiga cenſus.
Triſte, voluptati genioque indicere bellum,
Aſſiduis frangi curis, nullasque laborum
Noſſe vices. Quàm non paucos his illa fatigat

Impe-

Imperijs, hominum, rerum, vitæque, Suique
Immemores Heliconiadum in ſecreta relegans
Syluarum exilia, & taciturnæ Palladis vmbras?
Fumoſis vbi, blattarum de more, libellis
Perpetuò impliciti cerebroſa ſilentia, viuos
Sæpe etiam iratis corrodant morſibus vngues:
Nullaque ſomniferæ libantes munera noctis,
Exigui ſaturent oculos fuligine lychni.
Scilicet hinc clarum veniet Sophos, ingeniumque
Illa Cleantheæ populatrix flamma lucernæ
Ex humili tineâ Aſſyrium in phœnica refinget,
Æterno victurum æuo, vulgique per ora,
Et memores abiturum illuſtri nomine faſtos.
Quid Patriæ procul à gremio, amplexuque Suorum
Martia ſigna ſequi, grauibus ſudare ſub armis,
Sternere caſtrenſi duros ſuper aggere ſomnos,
Vix ſummis extantem humeris tranare ſonoros
Præcipitum fluuiorum æſtus, dubiasque paludes,
Contra ignes, gladioſque, & mille volantia ferre
Fata gradum, hîc oculum terebrari cuſpide, cæsâ
Illinc dimidium pro lucro euadere dextrâ,
Crura alibi minui ſtridentis pondere ſaxi,
Non graue non dictu miſerum? Comprendere turbæ
Vix tamen eſt numerum, tantos quam voluere caſus
Sanguinei facilem decoris ſpes improba cogit.
15. Infelix igitur, duriſque laboribus ægra
Perpetuò eſt, rigidi quæ triſte recepit honoris
Vita iugum: quanquam vel ſic toleranda, decus par
Si meritis, curas ſi præmia digna manerent.
At quæ operum merces? Mittamus, quælibet auris
Gloria quòd leuibus, tenuique ſimillima fumo,
Bulla crepans, vanum ſine re, ſine pondere nomen,
Nullis ſiue animos, ſeu corpora fructibus explet;
Hanc ipſam, rogo, quàm paucis apprendere laruam
Permiſſum eſt? Quàm ſæpe ſuos fruſtratur Amantes?
Seu quia diuerſis Mortales ſenſibus, &, quod
Altera dat laudi, dat idem pars altera probro;

Seu quòd præcipuè ſublimia fumeus vrget
Inuidiæ vapor, ac nebulis ſordentibus afflat;
Seu demum quia fama leuis, temeraria, mendax,
Ambiguique per ora volans diſcordia vulgi,
Futilium variam rumorum hinc aggerat inde
Colluuiem: rituque amnis, quò fuſa vagatur
Latiùs; hòc magis inſyncera & turbida ſerpit,
Non ſua præclaris admiſcens crimina factis.
16. En tibi Mars Libycus. Per plura pericula nomē
Quis petijt, meruitque? Inimicam vt vinceret armis
Italiam, vincenda fuit Natura. Niuoſum
Hoſpita condentes caput inter Nubila non tam
Ignique, ferroque, & vi mordacis aceti,
Ipſe ſuis quàm perfregit ſudoribus Alpes.
Poſt tamen illatam vim rupibus, aruaque denſis
Stragibus inſignita, & Pœni militis ipſa
Vſque ſub attonitæ nutantia mœnia Romæ
Terrorem perlatum, oculi poſt damna paluſtri
Sub Ioue, moxq; aliud, Fratrem, ſibi lumen ademptum,
Emerito quæ digna duci ſtipendia ſoluit
Poſteritas? Tantos quæ fama remunerat auſus?
Scilicet indecori myrto mutaſſe vocantem
Tarpeij laurum Iouis, aſpirantibus vti
Neſciuiſſe Deis, Capuæque ad mœnia, Cannas
Nempe ſuas, rerum tam læta exorſa, priorum
Tot fructus operum, ſudatique vltima Martis
Præmia corrupiſſe, Futuri improuidus, audit.
17. Nec Ducis Æmathij melior fortuna. Coruſcis
Quid procul e cunis Gangetidos Amphitrites,
Auroræque ſinu captiuum abducere ſolem,
Et ſua vix orto ſuperaddere fræna diei
Profuit? Audaci quid claſſe extrema ſecantem
Æquora, ſpumoſi litem de iure tridentis
Cæruleo intentare Ioui? Quid maxima centum
Vnius imperij in molem coniungere regna?
En per mille peti dignus certamina, tanti
En pulcher Victoris honos: quæ ſtrenuus egit,

For-

Digitized by Google

Fortunæ meritum vocat Hic: temerarius Illi
Arguitur ſtolidèque ferox: ſine puluere bella,
Et nimiùm faciles nullo diſcrimine ſunt qui
Deſpiciant palmas. Quid? Quòd pars plurima laudis
Geſtarum in comites rerum, bellique Miniſtros
Spargitur. Vtque Alios habeat, ſua fortia facta
Qui celebrent, meritoque ferant ad ſydera plauſu;
Plùs tamen hi quoque luxuriam, plùs barbara iuſſa,
Indignasque neces comitum, faſtuque profano
Quæſitos homini Superùm execrantur honores.
Tam rarum, neque Mortali ſperabile, plenam
Quantovis ſortiri operum molimine famam.

18. Anne igitur leuibus credendũ eſt pectora curis
Ambitioſa teri: dum, quam certamine tanto
Nanciſci properant, venantur & omnibus vnam
Aucupijs, incertam adeo tenuemque ſecundi
Murmuris excipiunt auram: contraque, Malorum
Quod miſeris ſummum, mordacibus vndique carpi
Iudicijs ſua facta vident: nec, amica referre
Quî tot Cenſorum liceat ſuffragia, quamvis
Rumpantur, ratio ſeſe aut ſpes obijcit vlla?
Quàm graue ſeruitiũ, quàm dura & iniqua foret ſors
Mancipij, octonos preſsâ ceruice ferentis
Tam malè concordes Dominos; vt, iuſſa capeſſens
Vnius, immites Aliorum protinus iras,
Iurgiáque, infeſtasque manus, & flagra ſubiret?
Durius heu vani quicunque petitor honoris
Captiuâ fert mente iugum, ſeruire coactus
Innumeris, animi, naturæque indole prorſus
Oppoſitâ, Dominis: quot ſcilicet ipſe ſuarum
Admiratores rerum, decorumque laborat
Præcones habuiſſe: virùm genus omne, ſenilis
Canitiem menti, primæ lanuginis æuum,
Sarranas procerum tunicas, plebisque lacernas,
Externos, ciues, doctum, rude vulgus adorans,
Obſeruans, metuens, cunctorum ſedulus vſque
Ad varios habilem ſeſe componere nutus.

Ni faciat, dominæ confeſtim verbera Famæ
Laturus: nihilò infelix quæ mitiùs horret;
Vllus quàm ſcuticæ vibices Dauus herilis.
Si vel fræna ſuæ miſerum eſt admittere; quantò
Triſtius externæ ſub iura libidinis ire?
Finge adeo fragili Mortalem corpore; quovis
Alterius flatu, obtutuque vt poſſit iniquo,
Saucius immanis clauæ ceu pondere, ſterni.
Num, rogo, vel fatis eductum talibus inter
Poſtrema haud referas miſerorum exempla; vel ipſi
Haud geminum ponas, adeo cui roboris expers,
Iunceaque eſt animi vis, vt percellere nulli
Non liceat minimæ abiectum vel murmure vocis?
O ſemper tremebundam! O nullam, tam tenui ſpe
Quæ vitam trahit, afflatu variabilis auræ
Circumagi ſubitò leuis in contraria, ſortem!

19. Adde, nihil quòd cōceſsū immoderata ſuperbis
Deſtinat ambitio conatibus: ardua quæque,
Inuia, ſumma petit decorum faſtigia, nullum
Laude parem, nedum patiens habuiſſe priorem.
Quinam igitur ſublimè adeo iaculantibus Auſis
Terminus, aut requies? Quænam fiducia voti
Cum ſummis hominum, quos vel prior vlla creauit,
Noſtra vel antiquis heroibus addidit ætas,
Aſſiduè decertanti, & ſic mente parato,
Tranquillam neget vt vitam, curiſque vacantem
Ducere, ni primum tot de riualibus Vni
Exorata decus ſors annuat? Heu ſibi quantùm
Difficilem mortale genus, tardique paratùs
Lætitiam facit, in medio quam prodiga cunctis
Expoſuit natura? Suæ proh neſcia ſortis
Pectora! Cum, dubij citrà diſcrimina Martis,
Se facilem det amica quies; oblata recuſant
Munera, ni tali rapiant e puluere, certà
Victorem nulli fas vnde recedere palmâ.

20. Quod, procul extremâ Ditis ſub nocte ſepultū,
Funditus humanæ turbanda ad gaudia ſortis,

Te

Te vomuit chaos, execrabilis, impia, vecors
Ambitio? Quàm (tu ſineres) pacatior Orbis
Degeret? Antiquo ſtarent vt ſæcla metallo?
Non miſeræ toties per mutua funera gentes,
Impia non fratrum caderent per vulnera fratres,
Certantesque duos inter lacerata ruinas
Plorarent tot regna ſuas. Tu buccina Martis,
Irarum fomes, Libitinæ calcar, hirudo
Sanguinis innocui, fraudum ſcelerumque magiſtra,
Per verſum fas atque nefas, per publica damna,
Ad ſolium properare iubes. Tu, conditus imo
Terrarum ceu ſæpe ſinu, rapidumque ſub auras
Vi ſubitâ meditatus iter Vulcanius ardor,
Compagem ſolidam Mundi trepidantis ab imo
Eruis, immani latè obuia quæque tumultu
Concutiens, gelidosque metus, triſtesque ruinas,
Et miſeros toto propagans æthere luctus.

21. Heu quãti Romę,(Quid Romæ diximus?)Orbi
Heu quanti ſtetit inſani ambitioſa cupido
Cæſaris? Inde citos per Theſſala rura, per vrbes
Heſperias, Nilique domos, Libyæque calentis
Æquora præcipitans currus, auidumque cruoris
Circumquaque rotans enſem feralis Enyo
Impleuit terras, impleuit ſtragibus vndas:
Romaque cum centum populis regnisque ſubactis
Concidit, infelix vnius victima noxæ.

22. Quid reliquas memorẽ peſtes?Sat carmine dictũ
Jam proprio, quantis agitent præcordia curis
Formido maleſana, immenſus & ardor habendi:
Nec ſecus has contra Eumenidas, contraq; nocentem
Triſtitiam quid opis Ratio, quæque arma miniſtret,
Vltima nunc ſubit, & longè ſæuiſſima, toto
Pectore diuulſam penitùs proſcribere pacem,
Criminis admiſſi ante oculos feralis imago.
Hæc illa eſt, hominum quæ noxia corda, flagello
Vipereo inſultans, Acheruſia torquet Erinnys:
Hæc rota, tergeminusque canis, iecorique renato

Penni-

Penniger aſſiduus tortor. Quid plura? Manentis
Tartarus hæc vitæ. Proh dirum, triſte, nec vllo
Non lethale magis fatorum vulnere, vulnus!
Fidum alijs ratio ſolamen caſibus: ipsâ
Ex ratione, quibus mentem crudeliùs angat,
Culpa trahit vires. Alij nouere dolores
Interualla vicesque: hæc iugi pectora letho
Conficiens, nullam roſeæ ſeu tempore lucis,
Siue per vmbriferæ pacata ſilentia noctis
Sontibus indulget requiem. Vix languida ſerus
Lumina permulſit ſopor; en Rhamnuſia vindex,
Iratique torum Dîj maieſtate ſeuerâ
Concutiunt. Mæſtus timor vndique, & vndique diræ
Pœnarum facies. Tenui ſi murmure fœta
Intonuit nubes; actum eſt: iamiam omnia ſupra
Se ruitura putant armamentaria cæli.
Proxima, ſi, rapido teritur dum ſemita curru,
Subſilijt paries; violentior ima fatigat
Oſſa tremor, moto ne cardine terra laboret,
Præcipites impulſa trahant ne tecta ruinas.
Concubiâ fòrs increpuit de nocte tigillus;
Heu ſtygij lemures adſunt, in tartara viuos
Iam rapient. Iter ingreſſi, virgulta moueri,
Exiguâ dumos inter trepidante lacertâ,
Audierint; ſpiris horrendum immanibus anguem
Cæcus adeſſe pauor fingit. Quæ tuta Nocentes
Otia, quam ſperent infeſto Numine pacem?

23. Prona igitur cupidis adſint licet omnia votis;
Ingenium, vires, regum fauor, ampla ſupellex,
Cenſusque, & tituli, & plaudentis munera famæ:
Tonſilium quamvis nemorum frondentibus vmbris,
Irriguàque leuent infeſtos Naiade ſoles:
Nec blandi comites, citharæ, ſpectacula, ludi,
Phaſiacæque dapes, Gauranaque pocula deſint;
Nil curas lenire ſatis. Phineia dulces
Diripiunt portenta dapes: generoſa Falerni
In Veientanam migrat vindemia vappam:

H Nautea

Digitized by Google

Nautea ſunt Arabum ſucci: mulcentibus aures
Neruorum modulis triſti mens conſcia planctu
Obſtrepit: ingrati comites: inamœna virentum
Scena theatrorum. Medio ſub pectore ſtridens
Vna eſt ante oculos funeſti criminis vmbra,
Vnam animus ſentit. Talis frondentia præter
Mænala, vel gelidis nemoroſæ in vallibus Idæ
Cerua fugit, volucri quam certus arundine fixit
Venator: neque iam luſus, herboſaque cordi
Paſcua, non liquido manantes vbere riui,
Aut ſcrupoſarum caua frigora ſpeluncarum.
Pulſus amor nemoris, camporum oblita voluptas:
Aprici colles, laſciuo exercita curſu
Prata, greges ſocij, quæque olim dulcia cunque
Incolumi, iam nusquam. Infelix altera pectus
Cura fodit, ſenſusque omnes ſibi vindicat, hærens
Traiecto penitùs lateri crudelis arundo.
24. Expertus nimiùm lanienam hanc efferus vrbis
Ille Syracoſiæ Pluto, ſed pectoris Orcus (a)
Sæuior ipſe ſui, & nullo ſe fine beatum
Iactanti, Superisque parem monſtrauit Amico.
Nota ſatis cœnæ regalis munera, notus
Attonitis ſuper incumbens ceruicibus enſis,
Viuida culpæ, animos gaudere vetantis, imago.
Tu quoque, Cæſarei in probrum diadematis hæres,
Supplicium quàm triſte nocens animus ferat, & quàm
Nulla iuuet ſontes fortunæ opulentia, ſæuo,
Delicias Caprearum inter blandosque receſſus,
Lymphatus, Tiberi, monſtrorum horrore fateris. (b)
Cuncta tuis elementa quidem vectigal amicum
Soluebant votis: fortunæ in culmine ſtantem
Orbis adorabat: felices reddere nutu
Innumeros vno poteras, ſed reddere nullis
Heu te felicem poteras conatibus vnum.

Scili-

(a) *Cic. 5. Tuſcul.*
(b) *Vide Sueton. in eius vita cap. 63. & 67. & Tac. lib. 6. An. cap. 6.*

Scilicet, arcano penitùs ſuffuſa veneno,
Impia mens ſibi tortor erat, vultuque minaces
Gorgoneo (ſat ſupplicij vel poſſe videri)
Eumenides ſtygios vibrabant cominus angues
Nequicquam refugo, vertentique ora, manusque
Tendenti contra, & veniam lugubrè roganti.
Plùs igitur ſcelus in pœnas, ad gaudia totus
Quàm potuit Cæſar: tantique ſuperbus honore
Imperij, viſus terrarum Numen, & Orbis
Fatum vnum, placidæ iucundo munere pacis,
Quo neque pannoſi fæx indiget vltima vulgi,
Infelix meritò, & nulli miſerandus, egebas.
Talibus (I, lentam, i, Nemeſim, gens impia, ride)
Supplicijs miſerum exercent ſua crimina pectus.
25. Has igitur Furias, erebique immania monſtra
Excantare ſacro Sophiæ me carmine cœpti
Lex operis iubet: auulſis, quæ pectora turbant,
Funditus vt cauſis, ſua cordibus otia, ſeque
Annuat, & iugi Pax temperet ora Sereno.
Qualiter, Aſtræi rapido cum turbine fratres
In pelagus cecidere, imâque à ſede refuſos
Conglomerant, ſecumque ferunt per Nubila fluctus:
Jamque adeo, ablato rerum diſcrimine, volui
Æthera cum ponto credas, cumque æthere pontum;
Neptunus liquidis ſi fòrs caput extulit aruis,
Regalesque comas, formidatumque tridentem
Concutiens, Vnde iſta licentia? Vos ego: ſæuùm
Increpuit Pater; attoniti ſubitoque pauore
Præcipites, hinc Eurus atrox, hinc turbidus Auſter
Certatim Æolijs properant ſeſe abdere clauſtris.
Fit fuga: deſeruere fretum: ſimul horrida cedunt
Nubila, turbati ponunt ſimul æquoris æſtus.
At Genitor, placido luſtrans vada cærula curru,
Relliquias irarum, expirantisque procellæ
Supremos lenit fremitus: quem candida circùm
Phyllodoce, Xanthoque, & Nereidum chorus omnis,
Glaucusque, Phorcusque, Athamanteusque Palæmon,

Digitized by Google

Tritoneſque citi, cum ſquamifero comitatu,
Compoſitas lætis exercent plauſibus vndas.
26. Et primùm indomitis bacchantē ardoribus Irā
Vt teneas; rapidi procul auertiſſe memento
(Tutius id, quàm commotas deîn ſiſtere flammas)
Nutrimenta Mali. Nemo non prætulit armis
Otia Dux ſapiens. Quò ferrum hoſtemque laceſſas,
Cum dubij poſſis neſcire pericula Martis?
Audenti, fac, certa paret victoria laurum:
Num ſemper felix, ſemper ſine ſanguine laurus?
Ferrea ſit quamvis, longo certamine ſenſim
Atteritur virtus: neque tantùm bella ciere,
Ipſum etiam bello toties viciſſe fatigat.
27. Nec te ideo vacuis nemorū penetralibus æuum
Abdere, ceſſantem penitùs, vitæque remotum
Officijs iubeam, vel rege exempla cauendi
Sumere ab Iſmario, oblata haud ignobilis artis, (a)
Materiæ ſed ſollicitæ, minimèque fidelis
Pocula comminui qui protinus omnia iuſſit:
Ne, ſi mox aliquo pretioſa toreumata caſu
Vecordis famuli fregiſſet lubricus error;
Exciret calidum iactura inopina dolorem.
28. Plura tamen iuſto miſcere negotia, ſeque
Vrgendis caueat penitùs mens tradere rebus.
Nemo etenim ſubitas adeo procliuis in iras,
Inſtantûm vt denſis qui voluitur officiorum
Fluctibus, immodicâque operum ſub mole fatiſcit.
Tunc in fermento eſt bilis: tunc quilibet illam
Occurſus, ſtrepitusque agitat. Ceu trita calorem
Corpora; ſic, varijs teritur quæ ſedula curis,
Irarum rapidos mens concipit acriùs ignes.
29. Proximus hinc comitū delectus, quos tibi dulcis
Nexus amicitiæ coniungat, & arctior vſus:
Ingenio ne difficiles, neu naribus vncis,
Elatoque ſupercilio. Vitentur &, vltra
Queis Rectum calor, ac nuſquam niſi tota voluntas,
Iurga-

(a) *Plut. in Apopht.*

Iurgarique vltro faciles, quoſque anxia ſemper
His modò, iamque alijs ex vano concitat vmbris
Suſpicio. Agreſtes quid moribus, aut cerebroſi
Commemorem capitis? Quid mollia pectora, quorum
Audiri celeres minimo irritamine queſtus?
Moribus his longùm concordi fœdere iungi,
Rixarum expertem, nimiò plùs ardua virtus.
30. Sed neq; ſi procul externa hæc fométa remouis
Tunc etiam cæcos flammati pectoris æſtus.
Neſciet, ignauo cultu blandiſque foueri
Artibus à primo quiſquis conſueuerit æuo.
Nam, veluti nunquam tot deſæuire coruſcis
Fulminibus nimbos, quot tempeſtate videmus
Autumnâ & vernâ, quæ pars clementior anni:
Quo fit, vt autumno propius, vernoque tepori
Italiæ cælum vrgeri quoque ſæpiùs illis,
Quàm Scythiæ gelidum latus, & Peluſia regna,
Prodiderit vaſti rimator Plinius Orbis; (a)
Sic & fœmineum vulgus, ſic corda virorum
Proxima fœmineis, parilique eneruia luxu
Sæpiùs, & causâ videas leuiore moueri.
Nil miſeris non infeſtum, ſubitoque dolore
Turbandis validum. Quæ corporis, hæc eadem ſors
Eſt animi. Solitos hyemem defendere tectis,
Nec cælum, niſi lene, pati, victumque diurnum
Delectu nimio, medicâque expendere lance,
Et ſeruare modum vitæ, rerumque tenorem
Perpetuum, quævis mox inclementior aura
Afficit, inſuetus quivis labor obruit, omnis
Ægrotare iubet paulò robuſtior eſca.
Non ſecus, ad votum ſemper cui viuere, molles
Inter adulantûm comitum, ſortiſque ſecundæ
Contigit illecebras, quiſquis ſua vota moretur
Deûm caſus, teneris quidquid minùs auribus aptum
Acciderit; turbari animo offendique neceſſe eſt.
Ad rigidos igitur mens obduranda labores,

(a) *Vide lib. 2. Hiſtor. nat. cap 50.*

Digitized by Google

Non nihil & duri in vitâ quandoque ferendum
Sponte homini : callum donec patientia ſenſim
Ducat, & hac vires priuatâ gymnade contra
Externos paret aſſultus, inopinaque fata.
31. Quod ſupereſt,turbis hominũ,rebusq;gerendis
Ne mihi ſe virtus vnquam committat inermem :
Omnia quin ſecum priùs exigat, in medio quæ
Puluere verſanti ſeſe deîn triſtia poſſunt
Obîjcere, & ſtomachi ſubitos attollere fluctus.
Nempe velut ſi quis properanti ſegnior obſtet,
Inîjciatque moram medius : ſi naris obeſæ
Ceſſatorque ſecus peragat mandata miniſter :
Si minùs vrbano, immodicus luſiſſe, ſodalis
Offendat nutu, vel ſcommate. Diſce remotum
Frangere conſilijs hoſtem. Vincetur, vbi inſtet :
Parua loquor : victa eſt, ratio quam præuenit, ira.
32. Si tamen ignarum vel ſic, exorta repente,
Aggrediatur, & inſanis præcordia verſet
Motibus; haud vitreũ(docuit quod Sextius)orbẽ (a)
Sumere tunc iubeam : cryſtallo iudice, tetros
Illius vt coram poſſis dignoſcere vultus.
Sint alij ſpeculum, ſimili quos turbine mentis
(Et præſens aderas) meminiſti ſæpiùs actos.
Quæ miſeris facies? Tragici non inſtar Oreſtæ,
Non toties verum ſpectare Athamanta putaſti?
Anne Alijs igitur pariter lymphatus haberi,
Vitandæque velis ſpeculum te fingere formæ?
33. Quin potiùs, toto rationis pondere nixus,
Fige gradum contra. Pugnæ breuis alea. Primo
Te niſi concurſu violens deiecerit hoſtis;
Viciſti. Tumidos iamiam ſubſidere fluctus,
Immaniſque rogi, Mundumque haurire parantis
Nil gelidam præter videas ſupereſſe fauillam.
Impetus eſt, vitamque trahit furor omnis agendo :
Ex motu vires, animique. Quieſcere cogas :
Occiderit, frangetque ſuis ſe viribus vltro.

Ergo,

(a) *Vide Sen. lib. 2. de Ira cap. 36.*

34. Ergo, calet dũ pugna, recẽs dum mœnia circùm
Hoſtis adeſt; quodvis, ſapiens, inhibere memento
Flagrantis decretum animi. Quid poſtulet vſus,
Quid ratio velit, haud pronum dignoſcere tantâ
Pectoris in trepidi vertigine: ceu minùs olim
Exaudita ſibi ciuilia iura, tubarum
Horriſonum clangorem inter, bellique tumultus,
Rettulerat Marius. Da rebus, da breue cordi (a)
Turbato ſpatium. Maturiùs omnia tecum
Mox ſtatues, cum, compoſito certamine, tota
Mens aderit ſibi. Nequitià commotus inertis
Mancipij Archytas, Virgis iam terga caleres, (b)
Improbe, ait, ſi non animi flagrantior eſſem.
Quæ ſæuire Alios iubet indignatio, pœnas
Hæc eadem prohibet me ſumere. Pectoris impos
Ipſe ſui, officium male ſumit herile. Furori
Nil liceat, iuſto quia vult ſibi plura licere.
35. Diſſimulare etiam ſurgentẽ in pectore morbum
Proderit. Ægra tumet circùm præcordia bilis?
In vultus ſaltem ne prodeat. Indue pacis,
Indue lætitiæ ſpeciem: molliſſima tunc vox,
Tunc greſſus placidi, & motus ſit lenior omnis.
Dum ſanum ſimulas, facies. Eliditur ignis,
Nulla vbi præcluſo patuit via. Socratis iram
Haud alijs ſolitam deprendi certiùs, oris
Ac minùs in verba effuſi, vociſque remiſſæ,
Indicijs memorant. Viſus cum lentior eſſet; (c)
Succenſum rapidis ſcires tunc pectora flammis.
36. Nil tamen his actum monitis, ſi neſcia fraudis
Pergit adhuc, vitæ quin vtilis ira videri. (d)
Quæ mihi (Ariſtotelem quamvis præſcribat, &, αὐτὸ
Αὐτὸς ἔφη, tripodis crepet æmula Pythagorei)
Legitimo excutienda foro, librandaque reſtat

(a) *Plut. in vita Marij.*
(b) *Cic. 4. Tuſcul. & Plut. de Liberis educandis.*
(c) *Vide Sen. lib. 3. de Ira cap 13.*
(d) *Idem ibid. cap. 3. & lib. 1. cap. 9.*

Non nihil & duri in vitâ quandoque ferendum
Sponte homini: callum donec patientia ſenſim
Ducat, & hac vires priuatâ gymnade contra
Externos paret aſſultus, inopinaque fata.

31. Quod ſupereſt, turbis hominũ, rebusq; gerendis
Ne mihi ſe virtus vnquam committat inermem:
Omnia quin ſecum priùs exigat, in medio quæ
Puluere verſanti ſeſe deîn triſtia poſſunt
Obîjcere, & ſtomachi ſubitos attollere fluctus.
Nempe velut ſi quis properanti ſegnior obſtet,
Inîjciatque moram medius: ſi naris obeſæ
Ceſſatorque ſecus peragat mandata miniſter:
Si minùs vrbano, immodicus luſiſſe, ſodalis
Offendat nutu, vel ſcommate. Diſce remotum
Frangere conſilijs hoſtem. Vincetur, vbi inſtet:
Parua loquor: victa eſt, ratio quam præuenit, ira.

32. Si tamen ignarum vel ſic, exorta repente,
Aggrediatur, & inſanis præcordia verſet
Motibus; haud vitreũ (docuit quod Sextius) orbẽ (a)
Sumere tunc iubeam: cryſtallo iudice, tetros
Illius vt coram poſſis dignoſcere vultus.
Sint alij ſpeculum, ſimili quos turbine mentis
(Et præſens aderas) meminiſti ſæpiùs actos.
Quæ miſeris facies? Tragici non inſtar Oreſtæ,
Non toties verum ſpectare Athamanta putaſti?
Anne Alijs igitur pariter lymphatus haberi,
Vitandæque velis ſpeculum te fingere formæ?

33. Quin potiùs, toto rationis pondere nixus,
Fige gradum contra. Pugnæ breuis alea. Primo
Te niſi concurſu violens deiecerit hoſtis;
Viciſti. Tumidos iamiam ſubſidere fluctus,
Immaniſque rogi, Mundumque haurire parantis
Nil gelidam præter videas ſupereſſe fauillam.
Impetus eſt, vitamque trahit furor omnis agendo:
Ex motu vires, animique. Quieſcere cogas:
Occiderit, frangetque ſuis ſe viribus vltro.

Ergo,

(a) *Vide Sen. lib. 2. de Ira cap. 36.*

34. Ergo, calet dũ pugna, recẽs dum mœnia circùm
Hoſtis adeſt; quodvis, ſapiens, inhibere memento
Flagrantis decretum animi. Quid poſtulet vſus,
Quid ratio velit, haud pronum dignoſcere tantâ
Pectoris in trepidi vertigine: ceu minùs olim
Exaudita ſibi ciuilia iura, tubarum
Horriſonum clangorem inter, bellique tumultus,
Rettulerat Marius. Da rebus, da breue cordi (a)
Turbato ſpatium. Maturiùs omnia tecum
Mox ſtatues, cum, compoſito certamine, tota
Mens aderit ſibi. Nequitiâ commotus inertis
Mancipij Archytas, Virgis iam terga caleres, (b)
Improbe, ait, ſi non animi flagrantior eſſem.
Quæ ſæuire Alios iubet indignatio, pœnas
Hæc eadem prohibet me ſumere. Pectoris impos
Ipſe ſui, officium male ſumit herile. Furori
Nil liceat, iuſto quia vult ſibi plura licere.
35. Diſſimulare etiam ſurgentẽ in pectore morbum
Proderit. Ægra tumet circùm præcordia bilis?
In vultus ſaltem ne prodeat. Indue pacis,
Indue lætitiæ ſpeciem: molliſſima tunc vox,
Tunc greſſus placidi, & motus ſit lenior omnis.
Dum ſanum ſimulas, facies. Eliditur ignis,
Nulla vbi præcluſo patuit via. Socratis iram
Haud alijs ſolitam deprendi certiùs, oris
Ac minùs in verba effuſi, vociſque remiſſæ,
Indicijs memorant. Viſus cum lentior eſſet; (c)
Succenſum rapidis ſcires tunc pectora flammis.
36. Nil tamen his actum monitis, ſi neſcia fraudis
Pergit adhuc, vitæ quin vtilis ira videri. (d)
Quæ mihi (Ariſtotelem quamvis præſcribat, &, αὐτὸς
Αὐτὸς ἔφη, tripodis crepet æmula Pythagorei)
Legitimo excutienda foro, librandaque reſtat

(a) *Plut. in vita Marij.*
(b) *Cic. 4. Tuſcul. & Plut. de Liberis educandis.*
(c) *Vide Sen. lib. 3. de Ira cap. 13.*
(d) *Idem ibid. cap. 3. & lib. 1. cap. 9.*

Digitized by Google

Ponderibus iam rite ſuis ſententia. Iuſtam,
Nec male de vitâ meritam tu dixeris iram?
Qui? Rogo. Nimirum ſontes vlciſcitur, æquas
Et malefacta iubet pœnas perſoluere. Sontes
Quin potiùs facit, & iuſti ſeruare tenorem
Neſcia ſupplicij, quæ vindicat, Auſa vel æquat,
Vel ſuperat. Nullo motu iactetur, oportet,
Aſtrææ geminas æquato vt pondere lances
Dextera ſuſtineat. Ratio, non Ira luendis
Conſtituit leges, & digna piacula noxis.

37. Cur, ais, iraſci nequeam peccantibus? Ipſe
Haud proprij vacuus quia criminis. Excute pectus,
In medios deſcende ſinus: quàm multa pudebit
Cernere? Quot ſubitò obiîcient ſe probra, ſeueri
Cenſoris puncto, & triſti carbone notanda?
Ah nemo veniæ non indigus: vlcera nulli
Non ſua flenda. Negas Alijs ſi parcere; ſaltem
Parce tibi. Cur hanc properas inducere legem,
Ipſe Nocens, ne ſit fas ignouiſſe Nocenti?

38. Eſto tamen purum vitio tibi pectus; acerbis
Anne ideo in ſontes odijs bacchabere? Sæuus
Proh nimiùm! Sic ergo parùm miſerabile mentis
Supplicium ſua culpa? Parùm ſors flenda, proteruo
Præcipitem ferri vitiorum turbine, fœdis
Inſeruire libidinibus, rationis egere?
Saucia Pæonius non odit membra miniſter,
Sed molli fouet arte, lues quò fœdior, Ægrum
Hòc miſerans magis: &, ferrum ſi fortè, vel ignem
Expugnari aliter renuentia vulnera poſcant;
Triſte miniſterium ſolâ pietate coactus
Aggreditur. Fas hinc exemplum ad crimin[illegible]
Pæona te, Sontes morbis lethalibus [illegible]
Concipe: nec furor, in pœnas [illegible]
Aut odium, ſed ducat amor [illegible]

39. Indolis at prauæ [illegible]
Vrgeri terrore pet[illegible]
Compoſiti no[illegible]

Ni violens, animique grauem teſtata furorem,
Pœna ſatis. Fateor. Frons ergo ſæuiat, at non
Mens pariter. Sit vox irati, pectus amici.
Quò verus ſub corde calor, cum fictus in ore
Sufficiat? Quò veſanum ſtimulare furenti
Bile iecur: cum, quidquid opis furor ipſe miniſtrat,
Compoſiti præſtet non ſeciùs vmbra furoris?

40. Reſtat, vt hoc ſaltem afflatu, diſcrimina contra,
Aduerſosque obices, virtutem igneſcere credas.
Cecropij ſic nempe vetus cortina lycei,
Nicomachi ſoboles docto pronunciat ore. (a)
Nequicquam. Genus id ſtimulos audire recuſat,
Ipſa ſibi calcar, virtus. Si cordibus addit
Robur, & impauidas quæcunque ad fortia mentes
Ira ciet; quidni paribus ſuccendere flammis,
Plùsque etiam nudi valeat reſpectus Honeſti?

41. Cur tamen inficias abeam? Stat vera fateri.
Calcar, & heu nimiùm violens impellere calcar
Turbidus eſt menti furor. Irritamine cæco
Scilicet illam vltra Recti finemque modumque
Abripit: vt, nec rite ſuas diſponere vires
Gnara, nec hoſtiles metiri prouida, certis
Irruat exitijs, nimioque ardore nocendi
In quæcunque ferat nudum diſcrimina pectus.
Conſilij pendente gradu, & moderamine lento, (b)
Artibus ignotis iræ, labefacta priorum
Veſano ferv[illegible] cum Tarpeia fata
[illegible]uir[illegible]pteno e culmine præceps
[illegible] luſc[illegible]rs fræna ſubiſſes
[illegible]ra[illegible] furori
[illegible]cioſaque rectis
[illegible]ne rerum
[illegible]nida Iuſſa
[illegible]lamore frementûm;
[illegible]Marte propinquo

Vallum aſſultantis; nunc circumiecta per arua
Cogentis prædas, ferrumque ignemque ferentis,
Propoſitum excuſſere animi, ſtudiumque ſalutis:
Et vicit, priùs Annibalem quàm vinceret, Iram.
42. Nunc,age,quid contra diuersũ tegminis hoſtẽ,
Quaque veneniferos ratione Cupidinis arcus
Effugias (Nulli fas tutum hìc fingere, nulli
Piùs, quàm ſecuro, pugna hæc metuenda) docebo.
Prima adeo laruam ſpecioſi nominis, atrox
Qua tegit ingenium, ferali demere monſtro
Cura ſit. Heu quantâ reſperſit labe, quibusque
Opprobrijs caſtum ſynceri nomen Amoris
Polluit, huic illud primus quicunque ferendum
Attribuit morbo. Nil fœdum, vile, caducum
Ingenuus meditatur Amor: nil purius vsquam,
Nil magis agnatum cælo, & rationis amicum.
Hic ſacer ille calor mentis, quo percita ſeſe
Egreditur, votisque leues aptantibus alas,
Æternum ſequitur ſua per veſtigia Pulchrum:
Hinc cordis vigor, hinc alacres ad fortia ſenſus,
Et Recti modus, & vitæ cæleſtis origo.
Ergo caue, pulchri ne te conſortia ducant
Nominis in fraudem, ſtygioque bitumine olentem,
Corporeæ lucis pariunt quam fulgura, flammam
Syncero geminum quidquam arbitreris Amori.
Nil diſpar adeo. Tenebris Phœbeia lampas
Congruerit citiùs, ſapiantque aconita Deorum
Ambroſiam. Rabies hæc perdita, cæca phreneſis,
Neſſeum virus, cœni Camarina nefandi,
Exitium mentis, vitæ pudor, halitus Orci.
Quìd nobis heu verba damus? Compſiſſe decoram
Quid ſcelus in ſpeciem iuuat, & ſuperaddere claris
Syderibus, cuius pudeat vel Tartara, monſtrum?
Scilicet egregios inſpiret cordibus ignes,
Heroumve calor poſſit, geniusque videri
Tetra lues, Brutis hominem quæ miſcet, inerti
Affigitque Solo diuinæ ſemina mentis?

Tu

43. Tu meliùs ſapias : talemque in imagine verâ,
Tot cinctam colubris, tam deteſtabile virus
Faucibus, efflantemque oculis tibi finge ; vel ipſa
Infandi vt timeant commercia nominis aures.
Tum ſimul hac diri ſe quisquam tabe veneni
Saucius (heu nusquam non plurima turba) videndum
Obtulerit ; licet Aſſyrios procul vndique nimbos,
Seplaſiæque forum expiret : licet omnibus ille
Munditijs talos à vertice comptus ad imos,
Cirratus, roſeæ nitidus fulgore iuuentæ,
Totusque e ſpeculo, Cypriaque e pyxide, blandas
Mille ferat geſtu charites ; haud nauſea menti
Sit minor, ac putri cælum nidore grauantes
Proiecti canis exuuias, dilapſaque tetram
In ſaniem laceri membra aſpexiſſe caballi.
Obuia quæ ſi Fors tulerit ſpectacula ; vultum
Ocyùs auertis, properasque euadere, totam,
Non ſine rugoſo concuſſu, in lumina frontem
Declinans, animæque premens ſpirabile limen,
Nequa veneniferæ irrumpant contagia peſtis.

44. Hoc odio imbutus ne protinus omnia blandii
Euaſiſſe putes morbi diſcrimina. Nullus
Fortior arcanâ vi mentem impellere vocis
Æmoniæ ſonitus : cælo aurea ſydera quamvis
Effuget, inque ſuos mutata retorqueat ortus
Flumina. Securæ nequicquam dulcia pacis,
Hoſte ſemel victo, præſumimus otia. Belli
Non alius, quàm corporei qui, terminus, æui,
Vnaque mors requies. Natiuo à ſemine ductum,
Congenitumque imis vitium fatale medullis
Humano penitùs ſuccidi robore neſcit.
Quin, vires animosque nouans per vulnera, lapſo
Fortius Antæo, cæsâque perennius Hydrâ,
Victorem petit vſque ſuum : &, ni cura reſiſtat
Peruigil ; infeſtis toties aſſultibus vrget,
Tot mouet inſidias, tot fraudibus vndique cingit ;
In ſua captiuum poſtremò vt vincula cogat.

45. Quas ego, quas heroũ animas, fortiſſima quõdã,
Et centum memoranda trophæis nomina, fœdum,
Intueor ſubijſſe iugum? Præſtantibus en qui
Herculeam titulis geſtorumque agmine famam
Tranſierat, gemino ſpoliatus lumine Sampſon,
Viribus abraſis, oneri pœnæque reuinctus,
Marmoreum, nouus Ixion (an Siſyphus?) orbem
(Sæuus Amor, Cypriſque iubet ſic perfida) voluit.
Monſtrorum en Alter domitor, Ieſſeia proles,
Monſtrorum à puero domitor, cladesque gigantum,
Captiuis Paphium tandem ceruicibus hoſtem
Accipit, inuicto ex heroe, cruentus adulter.
Tune etiam, nemorum & ſqualentis ſydus eremi,
Tune etiam, Iacobe? Ah notas exere vires: (a)
Ah illum reuoca Iacobum, ſubdola quondam
Fœmineæ fraudis qui tentamenta, Pudoris
Victima, bellatorque, manu fumante repreſſit,
Fortior & geminos ſuperauit Mutius ignes.
Quis furor, heu, fuſi toties in vincula Ditis
Laurigeras præbere manus? Huc grandia Cœpta,
Huc igitur canæ recident virtutis honores:
Vt, ſacri poſt dena quater ſtipendia Martis,
Hoſtibus, heu, ludus ridendaque fabula, turpis
Nequitiæ tyrocinium nunc denique, rugis
Sulcatus, ponas, ſenioque incuruus Amator?
Nil agimus: caſſi monitus: decoriſque, Suique
Oblitus Senior, modò quam crudelibus Orci
Arreptam Furijs dirâ obſidione, puellam,
Soluerat, ipſe animum Furijs peioribus actus,
(Eloquar? An ſileam?) rapti poſt damna pudoris,
Vitâ etiam dulci, timidus crudeliter, & bis
Iniuſtus, viduat, Prædo. Specus hoſpita ab imo
Contremuit: viſæ nemorum expalleſcere frondes:
Attonitoſque ſuus, ventis ceſſantibus, horror
Increpuit ramos. Tum luctiſoni plangores
Aurarum, & vacuis ingens vlulatus in aruis:

Quique

(a) *Vide Surium 28. Ian. in eius Vita.*

Quique per vmbriferam vicino gurgite vallem
Riuulus herboſi ſerpebat marginis altor,
In caput auerſas reuocauit territus vndas.
Necdum etiam vanos, moniti, ſubmittere faſtus
Diſcimus? Immiſtæ cælo capita alta, ruinam
Heu cedri traxere: humiles trepidate myricæ.
46. Omnibus ergo animi excubijs, vigiliq; cauendũ
Prouiſu eſt, auido quidquid fomenta furori
Suppeditat. Multos oculorum deuius error
Cypridis in laqueos, & ſerò cognita duxit
Exitia. Incauti dum papilionis ad inſtar,
Obtutu cupido circùm ſua fata volantes,
Eximiæ repetunt lumen ſpectabile formæ,
Securo ſubitas rapuerunt pectore flammas.
Tu vetitum cerni credas, quod amare vetaris:
Nec gladiatorum crudeli in gymnade tantùm, (a)
Sed magis hæc animi blanda inter prælia, primos
Scito oculos vinci. Per lumina tritus in arcem
Pectoris eſt cæco iampridem ingreſſus amori.
47. Nil tamen obſtruxiſſe fores has proderit hoſti,
Turpibus interea mimis, Paphioque lepore
Infectis vacuas dones ſi cantibus aures.
Sirenum ſcopulos noſti, Eumenideſque canoras:
Ne nimiùm diſtarè putes: quocunque ſub axe,
Quæ perimant animos, vocalia toxica miſcent:
Præcipuè in reſonis Thymeleo actore theatris,
Inter vbi choreas, blandùmque ſonantia fila,
Molles nequitiæ, & caſus referuntur Amantûm.
Heu quot naufragijs famoſa hæc littora? Caſti
Quot iuuenes, primo quotque æui in flore puellæ
Syrtibus his teneri puppim alliſere pudoris?
48. Adde parùm caſtos, Heliconia crimina, vates,
Per quos virginibus iam non licet eſſe camœnis,
Inque Dioneum migrauit Cyrrha lupanar.
Naſonem Geticas meritò proſcripſit ad oras
Roma

(a) *Tac. de German.* Primi in omnibus prælijs oculi vincuntur.

Roma vetus. Tu Naſonum (damnata propago
Viuit adhuc, ſemperque nouam numeroſior exit
In Sobolem) quicunque docent peccare, libellos
Exilio ſimili trans & Garamantas, & Indos
Ire iube: neque concinnæ lepor aureus artis,
Aut numeri teretes, & byſſina verba morentur.
His lenocinijs animos ſibi dira libido
Præparat: &, quantò ſentiri lenior intrat;
Plùs tantò ſedet, ac mentes permanat ad imas.
Dictio dum placet; incipiunt quoque dicta placere.
Horrebas quæ nuda priùs, fucata nitore
Caſtalio, minus atque minus nunc probra timoris
Incutiunt: iam non tibi mens adamantina: primus
Iam rigor inflecti ſenſim, nimiusque videri:
Iam natura Venus potiùs, quàm culpa: iuuentæ
Iam condonandus furor eſt. Quid reſtat, ametur?
49. Præterea nulla alterius vis dira veneni
Latiùs, aut citiùs ſua per contagia ſerpit,
Impuri ſcabies quàm tetra Cupidinis. Omnem
Ni fugis occurſum, ni ſedulus omnia vitæ,
Alloquijque caues commercia: fœdere ſi quo
Iungeris obſcœna tactis lue; protinus hauſtum
Et tua graſſari flebis per viſcera morbum.
50. Quod modò præcipiam, mortalia credere noli
Verba, ſed Euboicæ carmen fatale Sibyllæ.
Vaticinor, moneoque. Deus, Deus ora canenti
Temperat, & Delphis animum melioribus implet.
Prima Cytheriacæ ſimul ac proludia tabis,
Impellique nouâ dubium prurigine pectus
Senſeris; erige te, vigila, afflatumque recentem,
Ceu ſubitum, apprenſis qui veſtibus hæſerit, ignem,
Excute. Nec fallat, primò quòd ſerpere lenis
Ille calor turpem nondum fateatur amorem.
Si tenerum exigui foueat mora temporis; in quæ
Bacchantûm ſubitò flammarum incendia ſurget?
Quos animo tenuis pariet ſcintilla Veſeuos?
Biblis in exemplo eſt. Naſcentis ſemina morbi,

Et

Et malè conceptos ah ſedula protinus ignes
Obrueret; non, irriguo liquefacta dolore,
Nunc etiam veteres, poſt tot iam ſæcula, luctus (a)
Perpetuus Lycijs in vallibus egereret fons.
51. Otia tunc (quamvis nunquam nō otia lædunt)
Sed tunc præcipuè moneo fugienda. Tenaci
Ceu piger aruorum gremio qui deſidet humor
Turpia mille parit luteis animantia ſtagnis,
Fertilitate ſuâ infelix: motuque carentem
Ceu putris ſitus, ac tineæ paſcuntur edaces
Materiam; molli ſic deſidioſa veterno,
Nec varijs operum ſtudijs exercita, fœdum,
Quo miſerè pereat, ſibi mens producit amorem:
Sic illam ſurdo caries hæc improba morſu,
Paulatim minuens, depaſcitur. Otia tollas;
Continuò infracti periere Cupidinis arcus,
Nec facibus vis vlla. Imbellem languidus vmbram
Perſequitur, mollesque toros puer ille: laborem,
Sollicitos actus, operoſa negotia, ſæuum
Non aliter pubes quàm prætextata magiſtrum,
Deuouet. His reſidem, quidquid cauſabitur, vrge
Strenuus imperijs; næ, triſtia iura peroſus,
Sarcinulas furtim leget, hoſpitiumque moleſtum,
Inque ſalutatum comitem, mora nulla, relinquet.
Ergo vel indomitum poteris tunc flectere gyro
Cornipedem; vacuis vel retia tendere ſyluis:
Iamque ſequi celeres frondoſa per auia ceruos;
Iam formidatis excire cubilibus vrſos.
Aut, patrij ſi cura magis delectat agelli;
Inſpice, quot prælis ſeruent vineta racemos,
Quanta premat ramos vinci Pomona volentes,
Nectare quo vernas ſtipent examina cellas.
Nec pigeat riguis plantaria credere ſulcis,
Currentemque oleri ieiuno adducere riuum.
Mille operum cauſas, mille oblectamina menti
Fert ager. Hìc ſocium vitis deſerta pedamen;
Hic

(a) *Ouid. lib. 9. Metam.*

Hìc raſtros ſeges ; hìc poſcent viridaria falcem.
Quidquid agas, ſat erit, dum ne nihil, otia pellat
Dum labor, Idaliasque, fauent quibus otia, curas;
Præcipuè Sacris muſarum operare. Voluptas
Hæc ſimul illimi captam dulcedine mentem
Imbuerit; nedum Veneris mala gaudia; ſenſum
Vel dapis, & ſomni coget ſibi cedere. Clauus
Truditur vt clauo; docti ſic entheus ardor
Carminis obſcœni ſtimulos excludit amoris.
52. Multa ſuper tradenda forent precepta: ſed vnũ
Extremo ſub fine viæ iam vela legenti
Sat retuliſſe: ſuis nihil in certamine tanto
A ſtudijs opibusque homini ſperare relictum;
Ni fragiles animos cælo labentis amoris
Viuidus ignipotens calor, & vegetabilis aura
Roboret. O hominum, Diuûmque beata voluptas,
Sancte Amor, arcano coniungens omnia nexu,
Omnibus inſinuans animam, ſenſumque, vigoremque,
Immenſi natura Boni, ſpirabile Numen,
Tu potes antiquæ penitùs contagia labis
Tergere: tu, cæcis quos ſubijcit oſſibus, ignes,
Inſidioſa Venus, meliori vincere flammâ.
O Generantis ades, Genitique reciprocus ardor
Numinis: o totas animorum illabere fibras.
Quid tum, ſi Stygius flammantia tela Cupido
Ingeminet? Quid tum, ruptis fornacibus æſtus
Fumiferos inimica vomant ſi Tartara? Flatùs
Vna tui mentes leniuerit aura: caloris
Vna tui totum ſcintilla extinguet auernum.
53. Ambitio ſupereſt. Huius releuare ſuperbo
Aggredior iam colla iugo. Tu, libera ſi mens,
Vindiciæque iuuant; ſolerti ante omnia curâ,
Fac, reputes, famæ de moribus ingenioque
Carminis haud falſus cecinit quæ nuper Apollo;
Vt ſua crudeli pretio connubia vendat,
Mille ſubire procos diſcrimina, mille laborum
Tædia ferre iubens; vt, vel poſt talia, paucos
Digna-

Dignetur thalamis, multos exoſa repente
Deſtituat, nulli ſyncera atque integra conſtet:
Vt demum, ſtabili quamvis ſe lege fruendam
Annuerit; ſolidæ nil tunc quoque frugis habenti
Ferre queat, vani ſimulacrum futile ſomni,
Aerius vapor, vmbra leuis, reſonabile murmur,
Pictaque mentitæ Iunonis imagine nubes. (a)
Quæ penitùs ſi nota habeas, creberque reuoluas;
Fluxam adeo, tenuemque, & Veri pondere caſſam
Obuia per quæcunque ſequi diſcrimina mercem,
Haud minùs inſani duces rem pectoris; ac ſi
Mactandum ſe ferro Aliquis, vel præbeat igni,
Dum ſimilis viuo docti per vulnera ſcalpri,
Aut per Apelleæ ſuperet mendacia telæ.

54. Nec te decipiat, magni quòd nominis ardor
Viuida neſcio quæ iaculatur fulgura mentis
Nobiliore typo excuſæ, & celſiſſima quæque
Ad decorum ſtimulis plusquam vulgaribus actæ.
Diuerſi penitùs mores: Vulcania ceu ſi
Arma humeris ſudans inuictum ſpiret Achillem
Therſites, Libyci fuluâ ſeu pelle leonis
Arcadicum genus, & naturæ opprobria velet
Geſtator, Silene, tuus. Nempe ardua vota,
Præſtanteſque fouere alto ſub pectore ſenſus
Credatur, ſtudijs qui ſe famularibus vltro
Deuouet? Haud alius famæ captator. Heriles,
Aſpice, quàm timidè nutus obſeruet: amica
Vt demiſſus emat populi ſuffragia: quantis
Artibus in vulgus ſe commendare laboret:
Gaudia, ſpes, curas omnes ex illius ore,
Iudicioque trahens. Phrygiâ quis Dauus ab haſtâ;
Patriciæ titulum ſi turba hæc indolis aufert?

55. Sed neque votorum præſtans, ſua fortia facta
Egregioſque auſus minimâ mercede rependi
Qui ferat. Anne igitur non talis, maxima vitæ
Præmia cui plebis digitus, tritumque ſuſurris
Mobi-

(a) *Vide Natal. lib. 6. mythol. cap. 16.*

Digitized by Google

Mobilibus nomen? Proh veræ inſcitia laudis!
Siccine curarum pretium tibi vile tuarum?
Siccine, quos toto Numen dignatur olympo,
Sat leuibus cenſes fumis, vanoque labores
Penſari ſonitu? Dignam te concipe mentem:
Maior es. Haud tanti mea, dic, molimina vendo,
Iudice me vilis. Præſtantior ambitus vrit,
Metaque contento ſignatur celſior arcu.
Sat præſens Deus, & Recti mens conſcia. Veſtram
Nec ſic reîjcio, tanquam haud ſit debita geſtis
Hæc quoque nobilibus, famam: prenſare caduca
Sed pudet, agnatum Superis, cælique capacem.
Sydera cur paleis mutem? Non aſtruit, aufert
Eximio pretium merces indigna labori.

56. Deniq; adhuc magnæ titulum ſi ducere mentis
Pergis auaritiam famæ; cur ſedulus omni
Hanc ſtudio premis, & clauſam ſub pectore ſeruas?
Cur tuus hic, laudum quo munera prima referre,
Inter & æquales conniteris altior ire,
Obſcuris pauidus latebris ſe continet ardor?
Nonne ideo, ne deprenſus ludibria vulgo
Debeat, & riſus, narrandaque fabula fiat?
Ipſa igitur, cæco latitans pudibunda receſſu,
Se nihil egregij ambitio ſpirare fatetur.

57. Alter adhuc, ficti laruam cui demere Veri
Experiar, multis fucum facit, & malè cautas
Sæpe dolis mentes irretit dulcibus error.
Seruimus populo, nobis quia multà fauentem
Credimus, & flatu ſpirantem ad vela ſecundo.
Hinc adeo miros de noſtris vndique rebus
Miſceri famæ ſonitus, per compita noſtrum,
Perque domos celebri nomen diſcurrere plauſu,
Nos deſignari digitis, & ad æthera tolli,
Grata ſibi faciens animus ſpectacula (qualis
In vacuo ſoliti mentem oblectare theatro
Argiui veteris fuerat dementia) fingit. (a)

Nec

(a) *Horat. epiſt. 2. lib. 2.*

Nec modus, vltro ipſas plaudentū, atque, Euge, Beatè,
Clamantum voces quin exaudire putemus.
58. At tu Socratico vigilantum hæc ſomnia riſu,
Non ſecus ac, lepido veſtit quos fabula ſocco,
Pyrgopolynicas, ampulloſoſque Thraſones,
Excipias, hominum, gnarus, ſua quemque morari,
Cætera curarum ſegnem, ac neſcire paratum.
Splendida nec moueant, vani quæ ſæpe ſodales
Præſenti tumidis faciunt præconia buccis.
Nam quis Amicorum vafras ſub nomine vulpes,
Et paraſitantis neſcit tectoria linguæ?
Officio functi laudatum protinus omni
Ablegant animo. Quorum ſub pectore, quorum
Aſſiduum memori te viuere credis in ore,
Abſentis nullà tanguntur imagine: ſisne,
An fueris, longos nunquam meminere per annos.
Ex populo, rerum celebri rumore tuarum
Attonitum plenumque tibi quem errore ſuperbo
Fingis, pleraque pars neque natum in lumina vitæ
Audijt: ex facie reliqui, vel nominis aurâ
(Nil vltra) nouere. Latini maximus author
Eloquij, ſuadæque oraclum, non hominis vox,
Tullius id proprio, quàm vellet certiùs, vſu
Comperit. Ætnæo diſcedens littore Quæſtor, (a)
Haud aliam terras omnes, maria omnia circùm
Crediderat, niſi de geſto ſibi munere, famam
Feruere. Puteolos igitur deuectus, amicis
Plauſibus ac titulis, queis obuia turba merentem
Exciperet, lætas iamdudum arrexerat aures.
Ecce autem tumidâ ſe credulitate ferenti
Per medios, quà conferti vis plurima vulgi,
Spargentique graues huc illuc, publica laudum)
Vndique colligeret ceu vectigalia, viſus;
Neſcio quis verbis ſeſe communibus offert
Ardelio: &, Quid ab Vrbe noui, dignique relatu,
O Bone? Mirari, ſtomacho erumpente, ſuperbus
Arpi-

(a) *Vide eius Orat. pro Plancio.*

Arpinas. Quid enim? Thuſco tibi littore proram
Nunc videor ſoluiſſe? Adeone ex omnibus vnum
Præterit, externas quàm pridem miſſus in oras:
Vnde redux? Lepidus tum percontator, Vt, inquit,
Exciderat! Sed da veniam: nunc denique, qui ſis,
In mentem redijt. Libycâ digreſſus ab actâ
Nempe venis, quæ Prætori prouincia dudum
Obtigerat. Fugit demiſſis frigidus Hoſpes,
(Aſperſâ Volucer ceu gallinaceus vndâ)
Criſtarum phaleris, & ſtrictis ocyùs alis,
Indignans, atque, O mores! O tempora! muſſans;
Siccine præſtantium memoranda exempla virorum
In tenebris ſqualere? Nouis quæ littora cunque
Sol radijs, curru vel diſcedente ſalutat,
Plena meæ rebar Quæſturæ laudibus. Auras
Vt ſubitò in tenues iucundus vanuit error!
Ecce Dicarchei vicinâ in littoris orâ,
(Vix aures ſibi, vix credit mens auribus) ipſo
En prope in aſpectu Siculæ telluris, an vnquam
Quæſtor eò appulerim, latet, admirabile nedum
Quidquid, & eximium geſſi, populiſque loquendum;
Heu miſeras hominum ſpes, conclamataque vota!
I nunc, ſollicitâ famam virtute mereri
Nitere. Perpetuis, i, frange laboribus æuum,
Vt tibi inocciduos pariat labor improbus annos.
En, quæ magnanimis reſpondet gloria factis.
En, quæ noſtrarum (pudet) ignorantia rerum.
At benè, quòd vel ſic ſapui. Ventoſa valete
(Sat ſurdis huc vſque piget ceciniſſe) theatra.
Nil vulgo, quid agam, curæ? Nil & mihi, vulgus
Quid blateret. Virtus hinc protinus vnica finis,
Et merces operum. Quid fruſtra ſedulus, omnis
Quos penes interijt meritorum gratia, nullus
Officij quos tangit honos, ſeruire laborem?

59. Illius errori ſic experientia finem
Attulit. Euentu ſed dedignata doceri
Præuenit errores Ratio; ſtudiumque tuarum

In

In populo rerum metiri protinus illo
Te iubet, externas quo res curare viciſſim
Ipſe ſoles. Tanto clarorum ex agmine, ſeu quos
Priſca tulere, ferunt ſeu tempora noſtra, virorum,
Quantula pars, rogo, vel tenui tibi murmure nota?
Hanc ipſam vt rarus ſeu voluis pectore; fando
Seu memoras? Vt iners & languida tunc quoq; pulſat
Retractantem animum ſpecies? Vt parca, breuisque
Mentio? Quàm nõ cuncta probas? Quàm plura ſeueri
Lance ſupercilij, & naſo ſuſpendis adunco?
Qui tuus erga Alios igitur, hunc noris eundem
Omnibus erga omnes, naturæ fœdere certo,
Eſſe animum. Solum tu te miraris, amasque,
Et populo eximium cenſes mirumque videri,
Quæ præclara alibi, ſeu quærere lentus, iniquo
Seu faſtu ſpreuiſſe celer. Cur ergo ſuperbum
Me minùs intentumque mihi, cur indole quemquam
Diſſimili credas, alioque numismate cuſum?
Vnus nempe tibi tu carus? Fallere: cunctis
Hunc pariter natura Sui commendat amorem.
60. Præterea, quod priuatim delegimus ipſi
Ad famam ſtudij genus, id præſtare videtur
Omnibus vnum. Hederas laurosq; Heliconis alumnus;
Roſtra, forum, cauſas Rhetor ſtupet: Illè ſuperbis
Faſcibus; Hic ſæuo bellorum in puluere lectis
Nil æquale putat palmis. Quid multa? Laboris
Quisque ſui pretio capitur, diuerſa ſequentes
Negligit: vt proprio quantumvis munere claris
Vix, niſi paucorum, quos vna ars iunxit eodem
In ſtadio, curas liceat, plauſusque mereri.
At non Hi faciles riuali plaudere, ſeque
Victos, quòd ſocium mirentur geſta, fateri.
Scilicet expectes, primæ dum laudis honorem,
Præripuiſſe tibi quem nititur, Æmulus vltro
Deferat? Expectes fruſtra. Sub pectore nulli
Non commune ſalit votum, victoria: nec tam
Obtuſis homines famæ dulcedine tangi

Naſci-

Naſcimur ingenijs; vlli ſubmittere faſces
Vt libeat. Quidquid præclarum & nobile viſum
Fòrs alibi, extemplo id titulis componere noſtris
Cura ſubit: tum, ſi minus in certamine, ſaltu
Calcamus tumido; ſi par, liuore maligno
Deterimus. Sic quisque, locum tenuiſſe priorem
Dum properat, ſeſeque vnum circumſpicit, in ſe
Totam vno mentem, totumque abſumit amorem;
Ex ſocijs paucos ſenſu dignatur, eosque
Collatos ſibi iam ſpernit; iam liuidus odit.
Talia purgato expendas ſi pectore; vani,
Credo equidem, nimius frigeſcet nominis ardor:
Teque vltra, refugis tendentem retia ventis,
Fruſtratum irriſumque operæ inſudare pigebit,
Et cum ſpe famæ ſimul ipſa cupido reſidet.

61. Illud ad extremum moneo, ne dulce periclum
(Lotophagi ante oculos ſint, & ſirenia ſaxa) (a)
Attentare velis. Facile eſt non quærere famam
Abſentem; graue quæſitam dimittere. Nam quem
Inuenias, ſemel inſigni qui nomine parto,
Non vtràque manu proprium retinere, ſecundas
Non hominum de ſe ſpes impleuiſſe laboret?
Liber erat, donec populo ſecretus. Iniquos
Iam ſubijt frænos: iam, quod ferat vſque coactâ
Fronte, iugum (licuit quondam non ſumere: ſumptum
Haud etiam fas pro libito excuſſiſſe) recepit.

62. Hinc adeo fieri videas, vt Pallade tincta
Sæpe leui, primo ſtudiorum in limine, pubes
Nil circumfuſi cuneos atque ora theatri
Formidet, recitans: dum, qui Permeſſida totam
Immenſo bibit ore, ſacri vetus accola Pindi,
Roſtraque iamdudum emeritus qui triuit agendo
Orator, populi ſe ſe auribus experiundum
Dat quoties, in principijs palleſcere fandi
Cernitur, & vix voce ſibi, vix pectore conſtat.
Hoc etiam cauſæ, ignoti cur lentiùs ora

(a) *Homer. Odyſ. lib. 9. & 12.*

Nos ſpectatoris moueant : ſin conſcius alter,
Noſtrarumque diu rerum experientior adſit ;
Ad trutinam cautâ pauidi formidine cunctos
Libremus, ne quid fors ille coarguat, actus .
Nulla quòd à Primi arbitrijs iactura timenda
Nempe ſit ; Hoc multum minui ſub iudice poſſit .
Acrior vſque adeo parti, quàm cura parandi
Nominis eſt : leuiùsque homines diteſcere nullâ,
Quàm veteri, aſſertâque ferunt decedere famâ .
63. Ergo, tui dum iuris adhuc : dum littore tuto
Cimba ſedet ; plauſus ne te leuis, auraque fallax
Inuitet rapido permittere lintea ponto .
Haud facilis retro curſus . Ratione fugatâ,
Ambitio inuadet regimen : quò ſe magis altos
Induet in fluctus ratis ; hòc violentior æſtus,
Hòc tellus ſperanda minùs . Gliſcentibus auctu
Scilicet optato famæ prouentibus, vnà
Sollicitus pauor, & triſtes ſub pectore gliſcunt
Curarum ſtimuli, ne facta ſequentia primis
Degenerent : ne diſſimiles, veterumque probemur
Immemores laudum : de nobis neu ſua porro
Iudicia eluſi damnent, qui maxima quæque
Expectant, noſque in primis mirantur Amici .
Heu miſeros operum fructus ! Non aſpera ſaxa,
Immenſum proris famæ qui finditis æquor,
Non ſæuum Hippotadem,nimboſaque ſydera; ventos
Ah potiùs faciles, curſusque horrete ſecundos .
64. Huc igitur vires, huc arma· his peſtibus omni
Conatu & validæ obluctandum robore mentis .
Pax belli pretium . Vitijs, noxisque remotis,
Nil iam intus trepidi, nil, quod puriſſima turbet
Gaudia, triſtitiæ ſuberit : longèque flagella
Vltricûm Furiarum, & Cerberei latratus,
Queis ſontes animos terret ſua culpa, ſonabunt .
65. Atque vtinam innatos, æternaq; bella cientes
Auſpicijs æquè detur felicibus hoſtes
Frangere ; barbaricos pugnacem vt nuper ad Iſtrum
Edo-

Digitized by Google

Edomuit faſtus, orbemque implere minantis
Perfida Biſtoniæ Leopoldus cornua Lunæ
Fatali retudit dextrâ, & victricibus armis,
Maximus Europæ vindex. Quæ ſæcula tantum
Auſa forent ſperare decus? Vix gaudia credunt
Noſtra ſibi: vix ipſa capit victoria ſortem,
Qua fruitur: necdum funeſti tota receſſit
Temporis effigies, quo centum Thracia regnis,
Centum Aſiæ populis curua ad vexilla coactis,
Diluuium horrendum Martis, totumque Memetem
Hungariæ infudit trepidanti. Immenſa ſub armis
Æquora delituere. Tuum jam Græcia Xerſem (a)
Credidimus, ſiccosq;vadi Liſſumque,Scamãdrumque,
Eoâ ſuperante ſiti. Non axe niuali
Barbarus hoſtilem fremitum atque immania turbo
Murmura continuit. Germana ad clauſtra tonantem
Eridanus longè pater audijt, audijt ingens
Larius, & totis horreſcens Albula ripis,
Quique ſupra Heſperiam pontus, quique alluit infra.
Et potuit forſan, Latiæ ſanctiſſimus Vrbis
Ni Pater inuictis flexiſſet ſydera votis,
Auſtriaci, heu, potuit columen ſub pondere tanto
Imperij cecidiſſe: Arctoo e vertice pronus
Heſperijs potuit Strymon ſe infundere campis,
Mæoniumque Iſtro Tyberim, ſeptemque Latinas
Edomitis ſeptem iunxiſſe Trionibus arces.
Sed timor hic olim. Melior nunc altera verſis
Rebus adeſt facies: plenum poſt Nubila ſolem
Cernimus. In vacuum tam ſæui turbinis horror,
In ventos tumidi crepuerunt vota tyranni.
Cæleſtum arbitrijs, & ferro iudice, ſubter
Belligeram Mundi deciſa eſt cauſa Viennam.
Momentum fatorum ingens, arx vna ſequeſtris
Mœnibus Occiduum hinc texit; confregit Eoum
Inde Orbem. Clypeo tua manſit tuta ſub illo
Libertas, Europa: tuus ſubſedit ad illum,

Barba-

(a) *Vide Herodot. lib.7.*

Barbaries, ſcopulum faſtus. Nempe agmina mille,
Excitusque Oriens, bellique immenſa ſupellex
Addiderant animos. Retro lapſa omnia: totum
Mouiſti imperium, tota vno vt Marte perires.
Inſonuere tubæ. Hinc Bauarus, Lotharingius illinc
Heros præcipiti denſa inter millia ſaltu,
Diſploſo geminum ceu quondam ex æthere fulmen,
Quà ferrum, flammæque, & Martis plurimus horror,
Irrumpunt. Socio irrumpit Victoria greſſu;
Et iuſtus Furor, & dignis iam læta probari
Funeribus Virtus. Quis te, turbata ruentem
Agmina, Sarmaticus Mauors, cladesque Getarum,
Prætereat, Sobieschiade? Quàm ſæuus in armis,
Quàm feralè rubes? Nimboſum haud tantus olympo
Suſtollit mucronem, & ſydera terret Orion.
Agnoſci, viciſſe tibi eſt. Certamina terror
Nominis inuicti peragit. Dant terga pauentes,
Vt primùm ſublimis apex, criſtataque notæ
Lux fulſit galeæ. Nemo expectare tremendum
Fatiferi pondus chalybis: nemo ignea vultùs
Fulgura luminibus ferre. Et ſe grandior Heros
Illo fortè die, aſſuetumque excedere viſus
(Seu cæli noua vis, ardor ſeu Martius auxit)
Sobieschum. Plùs ora micant, plùs ardua ceruix,
Surgentesque humeri, & bellatrix longiùs vmbra
Campũ operit. Trepido iamq;omnia verſa tumultu:
Miſti equites, peditesque, abiectis vndique ſignis,
Ordinibus nullis, per plana, per ardua cæcos
Præcipitare gradus, ſociosque impellere, ſi quà
Se liceat fatis rapuiſſe vrgentibus. Actum eſt:
Occidimus Thraces: ſpes nulla: euadite: totus
Terga premit Boreas. Sic illi. Haud ſegnior inſtat
Attonitis, iamque hoc, iamque illo in ſanguine Victor
Exatiat dextram. Mutato nomine, bellum
Fit fuga, fit cædes. Sternuntur barbara paſſim
Agmina: confuſus riuo deuoluitur vno
Ponticus, Aſſyriusque cruor, quemque amne niuali

Nutrierat Tanais, rapido quemque Africa ſole
Torruit. Excitæ varijs tot partibus Orbis,
Tam diuerſa procul nactæ cunabula gentes
Vno Danubij ad ripas iacuere ſepulcro,
Fœdum alijs aliæ glomeratâ in ſtrage ſepulcrum.
Pande triumphales portas (non improbus vltra
Incluſæ trepidis ceruicibus imminet hoſtis)
Auſtriaci arx Tarpeia Iouis. Fas ire per altos
Innumeræ cædis cumulos: fas barbara caſtra
Securo luſtrare gradu. Quid gaudia ceſſant?
Haud ceſſant: hilarem totis victoria portis
Effundit per aperta vrbem. Votum omnibus vnum,
Cernere præteriti coram monumenta timoris.
Circumeunt, monſtrantque locos, diſcuntq; viciſſim,
Attonitis defixi oculis. Tendebat equeſtris
Hic acies: fræna en etiam, phaleræque ſuperſunt:
Hic Ianiſſerûm florentes ære cateruas
Explicuit campus: velorum hic diuite luxu
Ornarat ſibi caſtrenſem Veſirius aulam.
Aſpicis hunc tumulum? Rapidas flammata vomebant
Hinc tormenta neces. Viden hos telluris hiatus,
Nigrantesque ſpecus? Infernum hàc ſtruxerat hoſtis
Mœnibus exitium. En, Lotharus quo limite caſtra
Vi ſubijt prior. En, confoſſo vbi Goſtare, ſignum
Sobieſchus Getici rapuit lunare tyranni.
Vndique certatim diſcurritur: vndique lætis
Mirantûm ſtudijs, & plauſibus æquora feruent.
O digna æterno in faſtis adamante notari!
O æuo par vna dies! quæ funera, luctus,
Terroresque, minasque à noſtris barbara vertit
In capita: innumerosque auſus, cladesque, rapinasq;
Atque Orbem euerſum, & tot Thraci ſæcla rependit,
Grande triumphorum auſpicium. Nam quæ noua fati
Protinus excepit ſeries? Quantum inde cruoris
Barbarici, horrendum belli vectigal, in Iſtrum
Victorem Euphrates, Tanaisque effudit? Ahenis
Quot validæ clauſtris, foſſisque vndantibus arces

Cæſa-

Cæſareum ſubiere iugum? Non ardua Budam
Mœnia, non triplicis texit cuſtodia valli,
Armorumque, virûmque obices. Duræ æmula Troiæ,
Quo ſubigi poſſet, maiorem inuenit Atriden,
Atriden Lotharum. Quid ſeu, Strigonia, ſeu te
Inclyta commemorem regalibus, Alba, ſepulcris,
Neſſeliumque, & quæ ſtagnantem, Eſechia, Drauum
Longo ponte domas? Hinc ſicco Marte ſubactos
Victori reſerant Sighettum, atque Agria muros,
Bellantûm olim ingens pretiũ, nunc palma ſedentûm;
Inde moras Fabij, cunctatoremque Gradiuum
Pertæſus, rapidâ Taurunum Boiarius vi
Scipiades ferroque aperit. Nil fortibus obſtat,
Nil validum clauſumque ſatis. Victoria, pleni
Gurgitis in morem, quâ pronos æqua dedere
Fata ſemel curſus, torrente refunditur aluèo,
Perrumpitque obices, ſecumque morantia quæque
Conglomerat, nec, quid ſint ripæ, aut littora, nouit.
Iamque adeo exundantem armis non Pannonis ora,
Non Dacus, Myſusque capit. Thrace, impia Thrace
Poſcitur: illò auidi curſus. Sæuiſſimus ante
It pauor, & totum trepidis rumoribus Hæmum
Concutit: inuictum Auſtriaden, lectiſſima bello
Agmina, ferrum, ignem, excidium, ſupremaq; iamiam
Gentis fata canens. Nec falsò. I, maxime Cæſar,
Quò Superi ſtrauere viam, quò proſpera ducunt
Omina, tantùm audens, quantùm timet anxius hoſtis:
Perge triumphato victricia ſigna tyranno,
Fataleſque inferre aquilas: perge, auſpicibus Dîjs,
Extremas Aſiæ in latebras, Scythicoſque receſſus,
Funditus Europâ auulſum, exturbare Memetem.
Hæc tibi ſors decreta: tuis hanc gloria dudum
Temporibus nutrit laurum. Iamque illa comantem
Altior in ſyluam excreuit, maturaque tantis
Laudibus auguſtam properat conſcendere frontem.
Felices, quibus id victori nectere ſertum
Ingenij vis alta, & par ſublimibus orſis

Calliope annuerit: qui te, diuiſa iugantem
Imperia, & gemino clarum diademate, victam
Poſt Aſiam, Europam aſſertam, exarmataque bella,
Pegaſeo temone ſuper plaudentia Pindi,
Auſtriaci iam Pindi attollent culmina: ſeu quos
Veriùs ipſe ſuper Smyrnææ culmina famæ
Grandibus auſpicijs, immenſo & nomine tolles.
Felices iterum! Anguſti me conſcia flatùs,
Heroas ſpirare, & tantùm audere canendo
Muſa vetat, tenui contentum dicere plectro
Interiora animi ſecum certamina, quasque
Colligit arcano Virtus in puluere palmas.

EVTHYMIÆ

Liber Sextus.

1 IAmque tot emenſus vada cærula, condere feſſam
Ilicet optato meditabar littore pinum,
Et longi comites curſùs dimittere muſas.
En alij fluctus, aliud maris æquor arandum.
In medium reuocor. Sacris attollere viſa
Ex adytis caput, ipſa nouos Sapientia vati,
Plenius vnde trahant, docui quæ cætera, pondus,
Auguſto monitus Dea ſuggerit ore: tuisque
Hæc, ait, appendix veniat ſuprema libellis.
Parendum Superis. Reflectite lintea, iuſſos
Neu pigeat mecum (breuis eſt via) tendere curſus,
Aoniæ Comites. Illimi gurgite purus
Bellerophontei ſic vobis Præpetis humor
Vſque fluat: ſic ipſa ſuas concedere veſtris
Faticinas iubeat quercus Dodona viretis.
2. At quę prima nouo reuocamur in ęquora curſu?
Hæccine, tot circùm quæ conſita puppibus, & quà
Nautarum aſſidui curſus atque agmina feruent?
Nulla minùs. Quin ipſo adeo hoc de limite primùm
Auerſis nos Diua iubet decedere proris:
Nec magis aut Siculo latrantia monſtra Profundo,
Aut concurſurá horrendos Symplegade fluctus,
Quàm comitum tot vela, ducemq; horreſcere turbam.
Ambiguis igitur (prima hæc oracla) regendum,
Tranquillæ cui pacis amor, ſe credere vulgi
Sedulus auſpicijs caueat: neque rectius illud,
Errantûm quod plura notant veſtigia, dulcem
Ad metam ſibi fingat iter. Præneſte ſupinum

Si petis, Herculei gelidas vel Tiburis arces;
Præ reliquis quæ trita, eadem tutiſſima ducet
Semita. Iunge alacer præeuntibus ordine turmis
Te comitem: certi nunquam fruſtrabere callis.
EVTHYMIÆ ſecreta gradum ad delubra ferenti
Dux alius. Nihil hìc populo confidere tutum:
Indicium praui numerus: quo tramite puluis
Altior, & maiore pedum, maiore rotarum
Pulſa ſono tellus; cæcis ibi fraudibus error
Accubat: inſidias, prærupta que certiùs illic
Sperandum. Non læta adeo, fatale Parentis
Poſt ſcelus, humano generi fortuna relicta eſt,
Non ea naturæ vis; vt meliora probentur
Pluribus. Aerij celſo de culmine montis
Si libeat terras infra aſpexiſſe iacentes;
Attonitis, heu, quæ ſubitò ſe ſcena recludet
Luminibus? Quodnam aſpicies miſerabile, diſcors,
Immenſumque chaos? Ruptis volitantia frænis
Crimina, fas verſum atque nefas, dira vndique bella,
Furta, dolos, cædes, periuria, nilque relictum
Exitij: infandis erroribus omnia latè,
Omnia veſano ſcelerum confuſa tumultu.
Hæc Hominum cerni ſtudia: his temeraria paſſim,
Conſilijque expers iactatur vita procellis.
Nec timor in tales ſocium deſcendere fluctus,
Cum liceat tuto ſecretum e littore fœda
Naufragia, & triſtes errantûm cernere caſus?
3. Quid numero fidis comitum? Fiducia vecors.
Scilicet, affuſâ medium ſtipante cateruâ,
Tutior ad rapidi fueris contagia morbi.
Aut minùs hòc vereare luem, non ſingula tantùm
Quòd capita, at plenas turmatim demetit vrbes.
Haud ſcelus imminuit peccantum turba, ſed auget
Perniciem: quantòque in plures diditus exit;
Triſtior eſt tantò, non excuſatior error.
4. Sit pecorum, ſit, quos pecori rationis egeſtas
Aſſociat, quàcunque gradum fecere Priores,
Con-

Conſilij ſine lege ſequi; cur ire gregatim
Ipſe velis, quem nobilior ſapientia vulgo
Eximit? Errantûm raperis cur agmine, princeps
Agminis intactos poteras oſtendere calles
Qui ſocijs, turbæque facem præferre ſequenti?
Hunc, age, flammiuomam cælo qui lampada portans
Æternos relegit ſua per veſtigia curſus,
Partitisque diem, menſor certiſſimus, horis
Temperat, & Mundo ſua finit tempora, ſolem
Aſpice. Non illum ſummi rapidiſſimus orbis,
Præcipiti ſeſe, & ſubiecta volumine torquens,
Impetus aduerſas prohibet, quò tendit, Eoum
In latus, ire vias. Raptis vertigine tantâ
Syderibus, proprium innato decurrere niſu
Pergit iter. Vano ſic per deuexa ruente,
Stultorum quà conſenſus, morisque recepti
Turbidus æſtus agit, vulgo; contrarius vrget
Propoſitum Sapiens. Alij diteſcere raptis;
Vel proprios cenſus Hic deſerit. Vlteriùs ſpes
Vlteriùsque Alijs ſemper procurrere; ſimplex
Huic voti, natura, modus. Quodcunque videri
Exteriùs blandum, defixis protinus Illi
Luminibusque,animisq;inhiant;Hic pendere formas,
Veraque fucatis ſecernere doctus, in ima
Lynceos adigit rerum penetralia viſus:
Cumque, quid eximium, quid contra, lumine puro
Cominus inſpiciat; talparum credere nocti
Abnuit: obliquâ, nec, quos regione vagari
Cernit, eos vitæ ductores deligit: vltro
Errantûm quin caſtigat deliria. Quònam,
Veſani, quò, vociferans, temeraria vota
Spargitis? An fraudum laqueos, an lubrica nondum
Exitia, & ſerum lapſis ſapuiſſe videtis?
Nulla viæ merces: bifori dimiſſa elephanto
Attonitos ſenſus ſpecies deludit: inanem
Prenſatis miſeri, pro corpore, corporis vmbram.
O reuocate gradum: neque vos exempla Priorum

Digitized by Google

Indociles Veri rapiant, & mentis egenos,
Sed Ratio, fallique negans Prudentia, vitæ
Certa per Ionium dubijs Cynoſura carinis.
5. Nec mora: ſemotam turbis errantibus, ipſa,
Ipſa vltro regere, anteuolans, Sapientia mentem
Aggreditur, ſupraque imi iam præcipit Orbis
Eniti celerem ſpatia, & quodcunque caducum:
Altiùs vt ſpirans, diuina æternaque ſecum
Incipiat meditari, & puro lumine lætas
Cælicolûm ſedes, magni Conuexa Tonantis
(Quantùm non fragiles oneroſi corporis artus
Impediunt) iam nunc pernicibus occupet alis.
6. Scilicet ex illo ſtellantis vertice Mundi,
Nil vbi non æternum, ingens, mirabile, ſummum,
Terrarum exiguam molem, ſubiectaque longè
Regna videns, minimi in ſpeciem coeuntia puncti,
Quàm tenui ſeſe in ſpatio contendat inanis
Ambitio laxare: quibus compreſſa malignis
Nequicquam tumeat mortalis gloria clauſtris:
Quantula pars nihili ſit, quod certamine tanto
Finitimas inter per mutua vulnera gentes
Diuiditur, nullis iam viſum hebetantibus vmbris,
Certiùs hòc noſcet; ſpectat quò longiùs abſens.
Magnorumque adeo ambitioſa negotia regum,
Diſpoſitas claſſes, cumulata æraria, iunctos
Fœderibus populos, valido ſeu Marte ſubactos,
His poſitas; illis deiectas finibus arces,
Immaneſque alios, ſonitu plaudente per ora
Qui volitant, trepidumque vagis rumoribus Orbem
Concutiunt, genus hoc operum rerumque paratus
Non alio ſanè ſpectabit lumine, pubis
Quàm teneræ curas, quoties, molimine magno
Incumbens operi, exiguas attollere gaudet
Viminibus calamiſque domos. Hic ſedulus aruis
Materiam legit, & gremio complexus anhelum
Vectat onus; ſpatijs æqualibus Alter acutos
Figit humi vallos, transverſaque tigna supernè
Illa-

Illaqueat : cœno ſtudium ſolidare tenaci
Huic laterum textus ; paleis & frondibus Illi
Sternere ſumma labor. Diſcurritur vndique : penſum
Pro ſe quisque ſuum velox vrgere : nec vlla
Seu mora, ſeu requies dextris. Ad culmina ductum
Mox hilares fuſi circùm (ceu ſeptima muri
Coctilis Aſſyriæ portenta crepidine ripæ
Extulerint) mirantur opus, fixosque tuendo
Expleri nequeunt oculos, potuiſſe ſuperbi.
Indolis heu ſimplex ætas ! At quælibet illud
Diſſipet Æolij impulſum iam flaminis aura :
Ni, cupidæ vernos paleâ ſibi texere nidos,
Excidium infeſto Volucres abiectius vngui,
Aut virides caudâ tulerint trepidante lacerti.

7. Sed neque tunc ſæuæ ſortis diſcrimina, morbi,
Exilium, carcer, tenuis res, orba ſenectus,
Et, quos præterea infelix fert vita, labores
Incoctum æternis animum, plenumque Futuri
Afficient : neque, ſi lætis ſucceſſibus auctam
Vim ſcelerum tumidâ paſſim ceruice vagari
Viderit, indignis contra ſuccumbere victam
Euerſamque dolis virtutem ; fræna dolori
Soluet in ingrati querulus conuicia ſæcli :
Anxius aut dubio librabit pectore, Noſtra (a)
Curentur Superis ; nullo an moderante Deorum
Præcipites euenta rotent mortalia caſus.
Proh nimiùm tenues animas ! Crateris in orbe
Exigui tantas labefacto corde procellas
Quæ ſubeunt : tanquam præſentis finibus æui
Res hominum clauſæ, aut ingens mortalia ſæcla,
Quantovis numero labentibus addita ſæclis,
Momentum faciant. Sortem poſt fata repoſtam
Anticipans, latèque vagantem, & littora præter
Omnia diffuſum, claudi renuentibus vndis,
Temporis æterni Oceanum luſtrare volucri
Sedula mens niſu, quaſcunque coercitus arctis

(a) *Claud. in Ruff.*

Noſter hic euripus ſpatijs attollit ab imo
Spumiferas fortunæ hyemes vix æquat anhelis,
Vndantemque ſonum, bullaſque cientibus, ignem
Ad circumpoſitum, exiguæ feruoribus ollæ.
8. Sed quia ſublimes etiam præſentia tangunt
Sæpe animos; proprio, curandum, vt nouerit æquus
Saltem quiſque frui (iubet id lex tertia) cenſu:
Nec querulus muſſet, Cur ille, vel ille ſenator;
Plebs ego? Feſtino cur illum flammea Sidon
Ambijt obſequio naſcentem cingere; noſtra
Vilibus in pannis infantia vagijt? Illi
Ingenium velox, perque omnia fuſile; craſſam
Cum præter, nil contigerit mihi pingue, Mineruam?
9. Ilicet hæc hominum totam dementia vitam
Turbat agens. Propriæ detrectant gaudia ſortis,
Quidquid abeſt celeres mirari, & fingere maius.
Dumque Alios præ ſe cenſu potiore beatos
Quiſque putat; nulli ſupereſt vixiſſe beato.
Hinc adeo, quia, quà felix iucundaque tantùm
Conditio eſt aliena, libet perpendere: contra
Nuda ſuis, omni procul appendice Bonorum
Sepoſitâ, in rebus contraria nomina ſpectant.
Heu miſeri! Quos, ſi ſani pars vlla maneret
Pectoris, inuerſa penitùs ratione decebat
Sola ſuæ lætos compendia, ſola viciſſim
Externæ ſortis meditari incommoda: quòdque
Hæc procul; illa adſint, meritas perſoluere grates.
10. Nam quæ viuendi ratio tam proſpera, nullo
Temperet vt luctu ſua gaudia? Dulce triumphi
Optandumque decus: quanto venale cruoris
Sit pretio, reputes. Magnarum lumina ſtringit
Fulgor opum: ſubeant animo curæque, metuſque,
Seruandique labor. Faſces regimenque ſupremum
Imperij cuperes: ſpecioſum neſcius ambis
Seruitium. Fac obtineas: haud deinde licebit
Eſſe tuum: rapient aliena negotia totam,
Agmine perpetuo ſibi ſuccreſcentia, mentem.

Præ-

Præbendæ querulis Miſerorum vocibus aures:
Improbitas cohibenda: arcendus finibus hoſtis.
Annonam eſuriens vulgus, ſtipendia miles
Flagitat: Vnius pax, bellum, publica iura,
Et populi fortuna omnis ceruice recumbit.
Crede mihi, quos inuidiâ dignaris, eodem
Te ſibi præponunt ægri liuore, ſuamque
Mutârint tecum, detur modò copia, ſortem.
Mentiar, ipſe etiam ni conditione potitus,
Quæ ſtimulis animum tantis nunc vellicat abſens,
Oppoſitam indueres mentem, votique peracti
Ingratus, ſubitò malles ad prima reuerti.
Vndique mæroris Stultus trahit, vndique cauſas
Lætitiæ, rebus dexter præſentibus vti.
Non quid agas refert, ſed qualis. Spargitur vno
Hinc felix panacea; hinc triſtis rore cicuta.
Illa ſed in medicos vertit communia ſuccos
Pabula, lethiferum quêis educat iſta venenum.

11. Obſcurum ſed iter vitæ, nec limite in arcto
Promendis par materies virtutibus. Erras:
Ipſa ſui modus eſt operis Sapientia. Vires
Qui Lacedæmonias Cadmeus perculit heros, (a)
Plebeium non æqua ſibi cum Patria, tanto
Indignumque viro munus committeret; altam,
In quaſcunque vocaretur, demittere mentem
Suſtinuit, curas: præſtantibus euicturum
Pollicitus (neque certa fides non conſtitit) actis,
Natiuæ nihil vt labis ſibi rite gerenti
Turpe miniſterium allineret: quin protinus ipſum,
Deterſis maculis ignominiaque priori,
Ex ſeſe decus ac pretium memorabile ferret.
Quid Cincinnatos, quid te, Serrane, paternis (b)
Semina condentem referam Cerealia ſulcis?
Auſoniam veſtri puduit num vomeris vnquam
Hiſtoriam è Domiti reſperſos puluere campi

(a) *Valer. Max. lib. 3. cap. 7. de Epaminonda.*
(b) *Plin. lib. 18. Hiſtor. nat. cap. 3.*

Anne ideo imperia, & Latiæ ſpreuere curules?
Non illis, rigidos ſolitis verſare ligones,
Infeſtus belli quateret cum mœnia terror,
Roma ſuas vltro manibus permiſit habenas?
Vſque adeo, quamvis operum & diſcrimina rerum
Plurima ſint; meritis tamen exporrectus vbique,
Ac decori limes recluditur: vtque Mironis
Non minùs ars vili totam ſe prodit in ære,
Quàm ſi Callaico donet ſpirare metallo,
Includatve adamante Iouem; ſic quælibet æquam
Materiem vel ſupremæ ſors infima laudi
Suggerit: artificis tantùm ſolertia dextræ
Aſpera felici doceat manſueſcere cultu,
Et rudibus formæ tribuat præſtantis honorem.

12. Ingentis verique hominum reſpublica mimi
Inſtar habet. Scenis oculos aduerte: quot illic
Actorum ſpecies? Regali His ſyrmate verrit
Pulpita; cretatis ſubit in proſcenia Dauus
Hic pedibus: mercatorem gerit Ille ſeuerum,
Iſte leuem ſcurram, perſonam militis Alter.
Multiplices habitus, diuerſaque nomina: lætus
Quiſque tamen ſtudet impoſitas abſoluere, quanta
Ingenij, quanta eſt ſtudij ſolertia, partes.
In medio decus, & palmæ ſors omnibus æqua:
Nec rarum explodi regem, Dauumque ſecundis
Plauſibus adſtantûm ſublimem ad ſydera tolli.
Ergo, quem tibi vel Natura, vel impoſuit Sors,
Temporis in ſcenâ geſtandum, & dramate vitæ,
Amplexare libens habitum: potiora nec vlli
Inuideas, proprij ſed Summam implere labores
Muneris, &, quibus inferior ſis ordine, primum
Eripere his victor palmæ viridantis honorem.
Quid refert, famuli geſtes, an ſchema tyranni?
Sub quocunque licet potioris præmia famæ,
Et circumfuſi plauſus meruiſſe theatri.

13. Quod ſequitur, geminũ modò dictis. Fige trabali
Propoſitum clauo: quævis oblata repente

Ne

Ne ſpecies diſcordem animum nouitatis inani
Abripiat lenocinio, & per plurima verſet.
Stultorum hæc exempla, nihil conſtanter amare,
Nulli hærere diu ſtudio, quæ nuper anheli
Quæſierant, rapido mutati pectoris æſtu
Iam fugere, &, ſubitæ quòcunque cupidinis aura
Impulerit, totis curſum reflectere velis.
14. Vrbanos ſtrepitus en ille peroſus in arua
Effugit. Hìc etenim vitæ tranquillior ordo,
Hìc ſecura quies: procul hìc ciuilibus vndis,
Componam niueos iucunda per otia ſoles.
Iamque foro longùm dixit, populoque valere:
Iam, quoscunque ſibi Lacheſis torquebit, opaci
Ruris in amplexu traducere deſtinat annos.
Vix tamen optatis nemorum ſe condidit vmbris,
Primaque conſumpta eſt nouitatis gratia; iam ſe,
Iam ſua vota leuis damnare: abſentia quærit
Mœnia: deſertæ iucundior vrbis imago:
Et, Quid ego, ſocij generis commercia vitans,
Obſcurum infodio latebris nemoralibus æuum?
Sint Volucrum loca ſola domus, ſint regna Ferarum;
Vrbs hominum ſedes. Paucas en abſumus horas;
Ignauoque ſitu ruris mens torpet. An vltra
Exilium tam triſte feram? Stat protinus vrbi,
Cœtibus & ſocijs me reddere. Viuite ſyluæ.
15. Aſpice & hunc, pelago mutãdas ducere merces
Cui labor. Inſanum perpeſſus Oriona, vixque,
Pallida poſt vota, & decies ſpem cardine ſummo
Depoſitam, laceris aduectus littora velis,
Pauperiem curis vacuam, exortemque pericli
Non ceſſat laudare, ſuo, paruoque futurus
Dein locuples. Vetito citiùs ſe tinxerit Arctos
Æquore, quàm dubij repetat diſcrimina ponti.
Credimus? Haud ego: tænariæ licet ille paludis
Vmbriferos (iusiurandum inuiolabile) fontes
Teſtetur, totumque chaos. Vix lucida Phœbe
Æquatis vacuum reparauit cornibus orbem;
Conti-

Continuò grauis illa quies : ſopita reſurgit,
Viuidiùsque calet lucri ſitis. Ocyùs alnum
Aptari velis, rumpique à littore funem
Imperat, Æthiopum ſpolijs, Arabumque beatis
Diuitijs inhians. Nil ſaxa latentia terrent,
Nil iubar Olenij graue ſyderis. Irruit audax
Naufragijs, toto nec palmo à morte remotus,
Veliuolos iterat quæcunque per æquora curſus.
16. Muſarum quid cultor? Epos ſublime Maronis,
Smyrnæamque tubam guſtauerit; entheus ardor
Carminis, & totus ſubitò præcordia Phœbus
Irruere. Ænean aliquem, mora nulla, nouumque
Concipit Æaciden : præſto numeroſa papyrus :
Solus, apud ſocios, per compita, fana, tabernas,
Ægrotet, valeat, celebret ſpectacula, ludat,
Dormiat; immanes diſtento pectore verſus
Vſque agitat : reſonum vſque chaos, Phœbeaq; miſcet,
Crabronis ritu, aut grauiter reſonantis aſili,
Murmura. Caſtalios penitùs deplere minatur
Prima ſitis latices. Nondum tamen altera fluxit
Pagina; cum, ſatur Aonidum, ſublimia cœpta
Deſerit, extremo naſcentis ab ordine Mundi
Ad ſua perpetuis deducere tempora faſtis
Hiſtoriam meditans. Operis libamina prima
Sumpſerit; extemplo Ciceronem, & roſtra, forumque
Plùs probat : hæc pariter mox damnaturus eâdem
Ingenij leuitate, ſibi conſtare negantis,
Eque alio ſine more aliud, ſine fine ſequentis.
17. Sic noua, continuis vicibus ſubeuntia, totam
Inter ſe Amentis dirimunt faſtidia vitam.
It, redit, ædificat, ſubuertit, vota retexit,
Alternat curas, nulli mage, quam ſibi, diſcors :
Et ſemper cœpiſſe piget, neque deſinit vnquam
Incipere. Haud aliam ob cauſam, niſi rebus in ipſis
Quòd certam requiem, augurio deluſus inani,
Conſtituit : quam cum generi Prudentia noſtro
Sola ferat, nusquam inueniens, palantibus vſque

Irritus

Irritus, heu, curis loca per diuerſa requirit.
Non ſecus ac, nimio febris cui torrida venas
Igne coquit, toto faſtidia cæca cubili,
In faciem nunc ille iacens, mox deinde ſupinus,
Perque vices iam læua tori, iam dextra fatigans,
Circumagit: ſi quà feſſi in ſtatione recumbant
Molliùs, & finem inueniant cruciatibus artus.
Nequicquam: thalami non hac in parte, vel illà,
Sed medijs hæret fixus Vitalibus angor:
Quem non idcirco mutatis deſerit Æger
Sedibus, at verſo pariter cum corpore defert
In latus oppoſitum, nihilo moderatiùs illic
Triſtia ſollicitis facturum tædia membris.
18. Ergo, velut, contra ventorum flamina, prenſis
Mellificas Volucres curſum librare lapillis (a)
Cernimus; ambiguos ſic ſuſtentanda per æſtus
Immoti valido libramine conſilij mens:
Vt, ſibi quem Sophiâ legit ſemel auſpice, callem
Vſque ſub extremas decurrat ſedula metas:
Orſa nec ad trutinam toties reuocare, ſed acri
Ad calcem potiùs curet deducere niſu.
Nam quis erit modus, aut operũ quæ ſumma coronis,
Inſtabilem quæcunque leuis ſi cauſa probatis
A ſtudijs animum ſubitò in contraria vertat?
Penſandis ſua ſunt, ſua tempora rebus agendis.
Quid fieri ſatius, dum res examine pendet
Ambiguo, dum tu medius, Prudentia ſecum
Exigat. Huc poſtquam lanx, aut deflexerit illuc;
Præſtandum ſibi, quod ſupereſt, Conſtantia poſcit,
Decreti iam tota ſuî. Quà mobilis aer
Vi ſubitâ impulerit, paleæ, frondeſque iocoſis
Ludibrium volitent Zephyris. Conuellere cælum
Iuratas Aquilonum hyemes, totumque repellit
Hippotadem ſubnixa altis radicibus ilex.
Haud aliter, curis animum variantibus anceps,
Voluitur huc illuc ſua per faſtidia vulgus;

Propo-

(a) Virg. 4 Georg.

Propoſitum retinet Sapiens, & mole ſuâ ſtat.
19. Pondus vt hoc animo veniat; lex illa tenenda,
Humanæ placidus vitæ qua nititur ordo:
Nil adeo vt ſubitâ nimiâque cupidine præceps
Inſtituas, neu te violens in rebus agendis
Impetus abripiat, ratio ſed prouida ducat.
Phœbeas hæc nempe rotas imitata quietos
Continuat nunquam diuerſo tramite curſus;
Ille ſibi diſcors, Libycâque incertior vndâ,
Quò fluit, inde celer refluit, variosque per æſtus
Voluitur, in ſolâ conſtans leuitate, Suique
Hoc tantùm ſimilis, nunquam quòd primus, & idem.
20. Et graue principio fuerit, per deuia ſuetum,
Quà vagus errandi ſtimulat calor, æquora ferri,
Exiguis genium ſpatijs includere: durum
Luctamen, fateor, nihilòque remiſſius, ac dum
Indomitus primis pullus parere lupatis
Cogitur, imperiumque pati, nec feruida præter
Deſcriptum volitans veſtigia ſpargere gyrum.
Durius at quantò, momenta in ſingula cæcis
Æſtibus huc, illuc, ſine lege, ſine ordine volui,
Turbinis innati prædam? Per Cærula qualis
Fluctuat Ionij ſulcatrix cimba Profundi,
Quam rationis inops, clauum rapiente procellâ,
Depoſitam ceſſit victricibus arbiter vndis.
21. Quadrupedem tenerum fræni ſi lege ſeuerâ,
Nil parcens, moderere; haud longo tempore finges
Rectori facilem: ſin duro, & fronte ſuperbâ
Iuſſa recuſanti primas laxâris habenas;
Indomiti quàcunque ruet cerebroſa libido,
Vel nolens, cogare ſequi. Vix ſpes ſuper vlla
Obſequij. Dextrum ſit iter; læuâ ille vagari.
Ceſſantem porro impellas; veſtigia retro
Circumaget. Trita horteris regione viarum;
In foſſas, fluuiosque, importunasque paludes
Perditus abſiliet. Facili moderamine poſſes,
Vixque adeo oſtenſâ domitum perducere virgâ;
Sponte

Sponte ſuâ ferri aſſuêtum non vlla mouebunt
Verbera, non ſtimuli, calcariaque addita coſtis:
Irritare priùs dabitur, quàm flectere. Surget
Arduus, inſanis lacerabit calcibus auras,
Parîetibus ferus impinget, fræna aſpera rumpet,
Seſſorem excutiet. Tali ſcito indole prauos
Quosque animi motus. Væ, ſi quis mollior illis
Cedere. Permiſſo firmatis viribus vſu,
Nequicquam frænis reuocantem in Deuia ſecum
Rectorem abripient: quos ſi compeſcere primò
Cura ſit; immodicos flatus, mora parua, remittent,
Nec rigidâ ceruice iugum patientur herile,
In quamcunque velis, dociles iam tendere, partem.
22. His adeo impletis, operâ non ſeciùs vnà
Id quoque contigerit, verborum pondere tanto
Quod Sophiæ proceres vitæ inter prima beatæ
Præcipiunt elementa, incauto pectore ne quid
Attentare iuuet, ſeris quod deinde peractum
Damnetur lacrymis. Nam quid furioſius, eque
Brutorum magis ingenio, quàm ſola tueri
Obuia, venturisque nihil ſeponere curæ:
Expleuiſſe Bonis genium præſentibus, &, qui
Mox ideo maneant, vltro neſcire dolores?
23. Suâſerit ingluuies; centum licet inde Galeni,
Pæones hinc totidem Parcas, & cruda minentur
Funera; ſecuræ famis Helluo ſumina, rhombos,
Pauonem, lepores, damas, conchylia, turdos,
Quidquid alunt ſyluæ, tellus parit, educat aer,
Æquoraque, fluuijque, auidam demerget in aluum,
Omnibus ille lupis, rabidisque voracior vrſis.
Ambitio velit; in ſeruos, præſepia, veſtem
Aſſyriam, Coasque manus, fuſamque Corinthum
Cæſareas alacer, nedum profundet equeſtres
Nomentanus opes. Moneas, Heus optime, ſumptus
Hic loculis maior: modulo metire tuo te:
Luxuriam grauis à tergo comitatur egeſtas;
Fabula narratur ſurdo; nil creditor inſtans,

Nil inopes terrent cani, quærendaque fruſtra
Mors miſero, cum nec laquei iam copia, nec, quæ
Exoret ſtygiam, tenuis mercedula, cimbam.
Turbinis igniuomi in morem, quo, Roma, beatam
Irradias Petri noctem, dum ſplendida vulgi
Luminibus de ſe exhibeat ſpectacula; ventis
Ludibrium faſtu iamiam crepuiſſe caduco,
Inque leues ſolui haud renuat per Nubila fumos.
Præcipiti ſic bile iecur flammante, ſuperbis,
Fortunâque ſuâ maioribus irruet audax
Regum inimicitijs Alius. Vox caldior vna
In ſeros quoties gemitus, longasque Malorum
Exijt Iliadas? Permittere verba feroci
Ingenio, libuitque auidum expleuiſſe furorem?
En, quales breuis illa tulit veſania fructus.
Exul, inops, vagus, aſſiduis terroribus ægram,
Ac longo ſimilem letho traducere vitam
Cogeris. Hæc olim cautus, prudensque Futuri
Spectaſſes; vacuus curæ, & diſcriminis expers,
Inter amica Soli natalis gaudia, lætos
Cum gnatis ageres, charisque ſodalibus annos.
24. Haud igitur crudos Zenonas, & hiſpida nũc te
Præcipiam torui reſponſa audire Cleanthis.
Ipſe, voluptatum patronus & arbiter, ipſe
Eſto Neoclides viuendi hìc norma: futuros (a)
In dulci ſpectare iubet qui ſemine fructus:
Anticyram procul ablegans, præſentia nullo
Qui Bona delectu arripiunt, quæcunque, parati,
Senſibus in votum veniat genioque voluptas,
Protinus indulgere: licet mox illa dolorum
Fœcundam gemino pariat cum fœnore meſſem.
25. Sed neque vitandus minùs eſt contrarius error,
Aut minùs Anticyram plenis potare iubendi
Hi quoque ſunt cyathis, alios qui ſemper in annos,
Iratum nacti Genium, ſua gaudia mittunt,
Et, ſimiles porro victuris, viuere nunquam
Inci-

(a) *Apud Laert. in Vita Epicuri.*

Incipiunt. Nunc æquoreos, ait ille, per æſtus,
Memnonidum ſcrutator opum, Gangetica longè
Oſtia, teque petam, merſi quæ funera Solis
Gentibus excuſas, alioque, America, rependis
Sole, parens rutili, & felix Aurora metalli.
Stat quidvis tentare operum, & ſubijſſe laborum:
(Hac emitur mercede quies) ſtat fortibus auſis
Tranquillos placidæ portus aperire ſenectæ.
Mox, vbi ſucceſſu pleno, aſpirantibus & Dijs,
Fundarit patrios melior fortuna penates;
Dulcia tunc poſitis ſuccedent gaudia curis:
Inter & egregios cenſus, famæque nitores,
Iam lætus peragam, quæ ſedulus otia feci.
Tunc, ais? At cur non potiùs tam dulcia Diuûm
Anticipes iam nunc tibi munera? Qui malus error
Ingratas iubet actutum præſumere curas,
Gaudiaque extremo vitæ iam debilis æuo,
Et nunquam fòrs venturis ſeponere canis?
Vix ſatis expediam, quàm multis neſcia fructûs
Optati ſic luſtra fluant. En, aſpice tantum
Hoc hominum quovis cæli ſub cardine vulgus,
Turbam infelicem, æternis quos vana cupido,
Neptuni dubio, dubio vel in æquore Martis,
Perque fori ſyrtes, inſidaque limina regum,
Attonitos curis, feſſoſque laboribus vrget.
Quò tam ſolliciti curſus? Qui terminus? Aut quæ,
Spes alijs alias, ceu fila, intexere gaudens,
Immenſam hanc adeo miſeris net callida telam
Penelope? Verum ſi reſpicis; omnibus vnus
Longorum hic operum finis proponitur: omnes
Neſcio quæ meliora ſibi dein tempora ſpondent,
Tot quibus emenſi ſcopulos, & dura viarum,
Fluctiuagos tuto componant littore curſus.

26. Heu ſteriles Veri! Tanquã non tẽpore quovis,
Ambiguos citra errores, pelagique tumultus,
Illâ homini liceat ſtatione quieſcere: longo
Nec niſi circuitu Euthymiam comprendere detur,
Quam

Quam (votis adeo occurrit) voluiſſe, tenere eſt.
Sanius o quantò foret, anxietate, metuque
Depoſitis, facili confeſtim nubere Diuæ :
Quique per incertum ſinuoſis flexibus æquor
Optantur, placidos iam nunc inuadere portus.

27. Nec fugit hoc ipſos tandem, ſi dura repente
Non expectati ſupra caput aſtitit hora
Funeris, & Parcæ iam deficientia nigro
Pollice fila legunt. Retro tunc ſcilicet actæ
Ætatis ſeriem, conſumptaque tempora vanas
Fruſtra inter curas ſupremo à fine remenſi,
Conſilijs, heu, ſe nimiùm fallacibus vſos,
Ignaroſque Boni, cordiſque fatentur inanes :
Æthereà quòd ſorte frui, dum fata ſinebant,
Abnuerint : Parcaſque adeo euaſiſſe minantes
Si liceat ; poſthac non irrita munera Diuûm,
Nilque datæ iurant periturum e tempore vitæ.
Quæ ne vicini ſupremo in cardine fati
Ipſe etiam doleas ; quam poſtera cunque recentem
Addiderit penſis Clotho vitalibus horam,
Protinus illam æui confer præſentis in vſum,
Dilato vacuam prohibens tranſcurrere fructu.

28. At quænā iſta genus vecors ſapientia, (clamet
Hìc aliquis) fœdam niueæ ſub nomine pacis
Segnitiem laudare, & natos rebus agendis
Indecori, æternoque animos ſopire veterno ?
Fallitur. Haud quasvis, ſteriles deponere tantùm
Præcipimus, ſortis quas importuna caducæ
Spes glomerat, curas. Alacri nam cætera motu
Quem lateat refici mentes ? Ceu lampade quaſsâ
Viuidiùs micat ignis, &, inter confraga rumpens
Saxa viam, ſimiles vitro, electroque liquenti
Riuus agit (credas tunc primùm erumpere) lymphas.
Da rectis animum (Per me mora non erit : vltro
En etiam præeo) ſtudijs. Graſſare per artes
Ingenuas : dubij ſeu te penetralia Veri,
Obſtruſoſque iuuat naturæ attingere fontes ;

Seu

Seu magis, vmbriferi luſtrantem culmina Pindi,
Muſarum celebrare choros, & Apolline dextro
Condere perpetuos victurum carmen in annos.
Latus vbique operum campus. Sint publica curæ
Munia, ſint leges: neutri non æqua Mineruæ
Seu calamum, ſeu belligeram manus occupet haſtam.
Dummodo quiſquis erit, quocunq; in puluere curſum
Strenuus vrgebit labor; haud incerta ſenectæ
Præmia reſpiciat, quin, ſeſe lætus in ipſo,
Præſenti iam nunc foueat dulcedine mentem,
Ingratum nec onus, ſed opus videatur amicum.
29. Quæ facilè in medijs contingent gaudia curis,
Si non plura tibi, aut grauiorà negotia, quàm quæ
Ferre pares humeri, imponas: neque nominis ampli,
Fortuitive ſitis lucri tentare laborem,
Vnicus at puri iubeat reſpectus Honeſti.
Sic etenim liber ſapienti lege modoque
Tempora diſpones tecum, rebusque gerendis
Tantum operę impendes, natiuum expromere quantũ
Ingenij valeat, non abſumpſiſſe vigorem.
Ruſticus exercet tellurem: exercuit & rex,
Vt memorant, Cyrus, curuâ nunc ille fluentem (a)
Falce premens vmbram; nunc tecum, Bacche, maritans
Vlmosque, platanosque: & iam plantaria ſulcis,
Iam noua inutilibus committens germina ramis.
Ruſticus aſt opera hæc, ſudans ſeruiliter, vſque
Sub noctem roſeæ profert à limine lucis:
Nec tempeſtiuâ requie diſpungere curas
Improbus, aut feſtis nouit ceſſare diebus:
Non niſi regales cum fallere Perſicus heros
Quæreret hortenſi curas, & tædia cultu.
Haud ſecus, inſtinctu aſſiduo cui pectora famæ,
Famæ, ſiue lucri ſpes irrequieta fatigat,
Vrgendis totum miſerè ſe mancipat Orſis.
Ille & ſollicito trepidus ſua, ſeque tumultu
Impediet, nimioque licet ſub faſce laborans,
Tem-

(a) *Cic. de Seneſt. & Xenophon in Oeconom.*

Tempora temporibus coniunget, penſaque penſis,
Nunquam operum leuior, nullam ſibi pace ſequeſtrâ
Immunem aſſidui tribuens moliminis horam.
Æmulus at Cyri Sapiens, rerumque, Suique
Rite potens, medijs interſeret otia cœptis:
Iamque aliquid, ratio ceu viſa monere, negotî
Sumet; iamque, eadem hortari ceu viſa, remittet.
Nulla cui penſum quippe eſt implere diurnum
Cura, ſed ingenuo mentem excoluiſſe labore.

30. Proderit huc aliud, ſacri quod carminis inſtar,
Græcia victuro Delphis ſignauerat auro, (a)
Æbalij oraclum Sapientis, auariùs æquo
Quidquam optare vetans. Nec inanis pabula tantùm
Hic mihi luxuriæ, gemmas, atque æris aceruos,
Supremosque magiſtratus, dominasque curules
Concipias. Nihil humanæ inter præmia ſortis
Immodico Euthymiæ cupidis ardore vouendum;
Non dexter ſtudiorum, ad quæ vel ſedula virtus
Impulerit, ſucceſſus: opum non copia, ſimplex
Quas ſibi mortalis vitæ deſiderat vſus:
Non animi non ipſa quies. Quid talia namque
Rettulerit iuſto votorum limite claudi:
Si nihilò ſecus, ac, vanis quæ cætera vulgus
Proſequitur votis, inhiantia pectora turbent?
Gemmeus, an luteus crater nil diſtat; vterque
Noxia dum pariter labris aconita propinet.
Qualibet anxietas deſcendat origine; nunquam
Non erit anxietas, nunquam non triſte venenum.

31. Nec mihi mens ideo Sapientem fingere, duri
Mnaſiadæ qualem fingebat porticus, omnis
Indocilem ſensûs: qui funera ſpectet eodem,
Quo ludos, animo, nihil & diſcriminis inter
Bella putet, pacemque. Procul tam triſtia monſtra,
Deucalionei totum de ſemine primo
Marmoris ingenium crudis retinentia fibris.
Æmula non adeo anguicomæ fert oribus ora
Gorgo-

(a) *Plin. lib. 7. Hiſtor. nat. cap. 32.*

Gorgonis; vt rigido mutet Sapientia ſaxo,
Quos propiùs videt: ingenitos neque corde reuellit,
Sed cultu meliore iubet miteſcere ſenſus.
Noſter, quidquid opum poſcit mortalis egeſtas,
Id ſibi cum reliquis Sapiens commune putabit,
Exquiret, cupiet, felicem frugibus annum,
Fœturam pecoris, cenſus ſine litibus, æui
Tranquillam ſeriem, ſynceros corporis artus,
Dulcis amicitiæ concordia fœdera, purum
Dedecoris nomen: placidè tamen omnia: ne, ſi
Feruidior careat quæſito fine voluntas;
In ſeſe vim vertat, &, acri incenſa dolore,
Ipſam etiam perdat, poſt perdita vota, quietem,
Præcipuum quæ votum, omniſque eſt regula voti.

32. Et quia ſæpe etiã externis vehementiùs æquo
Afficimur, ceu parua domi ſit copia, curis;
Edico, teneris præſertim mentibus, in ſe
Remque ſuam viſus defigere: cætera, ſtulti
Quæ proceres, ſtultum quæ miſcet plurima vulgus,
Et quibus in melius reuocandis nil ſibi promptum
Auxilij, ſurdis tranſcurrere ſenſibus. Hoc ſi
Præceptum docili ſeruauerat Heraclitus
Pectore; non, largos adeo reſolutus in imbres,
Tabida perpetuo vexaſſet lumina fletu:
Nec Pandionius, pronam ſi vocibus aurem
His dederat, funeſta adeo meruiſſet iniquo (a)
Communis naturæ odio ſibi nomina Timon.

33. Id metuens, auidas intra ſua limina curas
Claude, nec externos circùm patiare penates,
Denſaque multiuago palari compita greſſu.
Sin aliquid vel nolenti ſe fortè videndum
Obtulerit, quod (ceu paſſim Mortalia) turpe
Indignumque putes; dic tecum protinus: Iſta
Plùs nihilò obſeruare meum, quàm, quæ glaciales
Thyrſagetæ peccant, vel areniuagi Naſamones.
Reſpicerem, populi ſi prætor, iudicis aut ſi

Funge-

(a) *Vide Plut. in Antonio, & Laert. lib. 1. & 9.*

Fungerer officio. Quid nunc aliena capeſſam
Munera? Faç ringar; bilis tamen irrita. Summus
Cælicolûm iuſtis hæc aſpicit omnia Rector
Luminibus. Tanti Priuatum iudicis iras
Præripuiſſe nefas. Sua cuique negotia ſunto:
Conandum mihi rite meas abſoluere partes.
34. Credere vix poſſis, quantã irarumq; dolorumq;
Hæc animo excindet ſapiens incuria ſyluam.
Eheu, cur Noſtri immemores per proxima vano
Huc, illuc rapimur viſu? Ceu pyxide clauſos
Tunc ſolùm rediuiuæ oculos inducere fronti
Fertur, cum notis Lamia e penetralibus exit, (a)
Cæca domi. Sic ergo parum in ſe quisque negotî,
Quo teneatur, habet: populo nec deuius vlla
Inuenit explendis animus ſpectacula curis?
Felix! Qui cupidos rimandi plurima ſenſus,
Fortiter ignarus, cohibet. Quàm dulcia ſecum,
Otia lætus aget? Rapidos vt neſciet imbres,
Ventorumque minas cæli per aperta furentes,
Ipſe domi latitans, tectoque incluſus amico?
35. Ergo nocet, quid agant Alij, ſcrutarier: at non,
Felices vt agant, pariter curare nocebit:
Maiori quin nulla animum dulcedine complet,
Ac pulſis Inopum quæ cladibus orta, voluptas.
Hæc igitur primas inter ſit cura, virili
Humani cauſam generis pro parte tueri,
Quæ mala quisque ſubit, communia ducere, flentûm
Ærumnas lenire, ægro huic ſolatia ferre,
Illius anguſtos cenſus laxare, ſalutis
Ancipitem ſæuis alium ſubducere Parcis,
Nullum non patrio complecti pectore, nulli
Non facilem, quæcunque premat vis, tendere dextrã.
36. Anne Duces quæris? Circũfer lumina: quantos
Ilicet heroas, quantis reſonantia famæ
Plauſibus obijciet mirari exempla Vetuſtas?
En tibi, deliciæ ſubiecti, Flauius, Orbis,
Viuere

(a) *Plut. de Curioſit.*

Viuere cui tantùm, humanâ de gente mereri, (a)
Nec ſuus, aut æui numerandus in ordine, ſi quis
Fortè dies proprij fluxiſſet muneris expers.
En, centum populis regnator maximus, at plùs
Regnatore pater, Cyrus, non lætior, hoſte (b)
Cum domito ſpolijs diues remearet opimis;
Quàm, ſocios inter fauſti cum præmia Martis,
Largus opum victor, diuiſerat, hæc ſua faſſus,
Quæ daret, his auctum ſeſe ornatumque videri,
Auctior vnde aliquis comitum atque ornatior iret.
Nec, qui Cecropijs Auroram terruit armis, (c)
Miltiadis magni ſoboles certiſſima, quamvis
Nil vltra ciuem, priuato & limite clauſus;
Munifico haud tantos æquauit pectore reges.
Ecquis enim (teſtare fides antiqua) nouercam
Expertus Sortem, haud ſenſit Cimona parentem?
Cui miſero non ille ſalus? Quem rebus in arctis
Deſeruit, trepidumque ſinu haud excepit amico?
Nulli clauſa domus: ieiuni huc vndique cœtus
Confluere, hinc alio ſaturi diſcedere vultu.
Quìd loquar expoſitos ſublatis ſepibus hortos,
Diuitias faciles? Properate ad publica, ciues,
Gaudia. Quidquid alit tellus, fas omnibus æquè,
Seu fruges, ſeu poma hilari decerpere dextrâ.
Nocte, dieque patens aditus: cuſtodia nuſquam:
Nil vetitum, & Domini proprium. Quin ipſe, morari
Impatiens, ſua vulgus inops dum limina quærat,
Ærumniſque ardens ceſſantibus obvius ire,
Profuſo quos ære leuet, per compita paſſim
Veſtigat ciues, paſſim ſua munera lætis
Lætior obtrudit. Qualis, cum Sole recepto
Feruidus igniuomis vrit Leo faucibus annum,
Longaque ſemianimes pallent ieiunia ſulci;
Camporum fœcunda altrix, ſitientia latè

(a) *Suet. in vita Titi Cæſ. cap. 1. & 8.*
(b) *Xenophon de inſtit: Cyri lib. 3. 4. & 8.*
(c) *Vide Plut. in eius vita.*

Arua ſuper medio nubes volat æthere, iamque his,
His modò vitales ſuccos, animæque virentis
Nutrimenta cauo diffundit ab vbere terris.
Aut qualis, Phariæ terrenus Iuppiter oræ,
Gurgite fœcundo ſiccos deſcendit in agros
Nilus, & æſtiuo Peluſia rura Tonanti
Succenſere vetat. Pandit gauiſa beato
Diluuio Ægyptus gremium: quàque aureus egit
Amnis iter, ſparſitque gradus, ſocia agmina iungunt
Alma Ceres, mitisque Pales, viridesque Napææ,
Cumque opibus, Spes diſcinctæ, Cultusque, Decorq;
Et reſoni plauſus populorum: iamque nouatas
Hortatur falces: iam ſedulus horrea laxat,
Flauentemque tibi meſſor promittit, Oſiri,
Flauentem tibi, Nile, tuo de rure coronam.
Haud ſecus Actææ totam ſe diuidit vrbi,
Perque inopum gremium exuperante refunditur alueô
Neſcia ſtare Viri pietas. Nil explet amantem:
Nil animo ſatis: augetur, dum ſpargitur: &, quò
Latior excurſus; (dictu mirabile) maior
Impetus eſt. Dandi ſemel explorata voluptas,
Pulcher hydrops, alijs ſitiens, noua pabula quærit,
Nec donaſſe putat, geminet ni munera: iamque
Plus debet, qui præſtat opem, plus accipit ipſe,
Largiturque ſibi: pleno ceu gurgite tota
Pectus in authoris redeat, quæ pluribus inde
Per populum latè manarat didita riuis,
Gaudiorum eluuies. Cur non huic prodiga cunctos
Lydorum, atque Arabum cenſus, & quidquid vbique
Flumina ſeu voluunt auri, ſeu ducitur alto
Omniferæ matris gremio, Fortuna, dediſti?
Crede mihi, humanum poteras, dum conſulis Vni,
Demeruiſſe genus. Communia nemo negaret,
Communis ſpargenda pat[illegible]is quæ, dona, tuliſſet.

37. O meritos gazis animos æqualibus vti,
Quàmque velint, haud poſſe minùs! O pectora curis
Regnorum, & vaſti imperio digniſſima Mundi!

Vt

Vt libet, inſano Caij, tumidique Nerones
Regia certatim vacuent æraria luxu:
Vndantem terris pelagum, vndantique viciſſim
Inducant pelago terras: hìc ſurgere valles
Montibus; aerios plano ſubſidere montes
Hìc iubeant: vnis iuga per ſeptena refuſam
Vrbem Cæſareis abſumant ædibus: vnâ
Imperij, Mundique vorent patrimonia cœnâ.
Maximus, & longè ante alios iucundior vnus
Fortunæ præſtantis honos, benefacta per Orbem
Spargere, felices facere, inſtaurataque vitæ
Auſpicia, & melius miſeris procudere fatum.
Hæc cælo meritos heroas gloria tollit: (tas.
Hæc regũ eſt propria, hæc vel Numine digna volup-
38. Omnibus atq; vtinã hic ſub pectore nobilis ar-
Viueret. Vt ſubitò venæ melioris in æuum (dor
Aſpera deterſo remearent ſæcula ferro?
Vt nouus annorum conſurgeret, omine fauſto
Conditus, auſpicijsque fluens melioribus ordo?
Bella, metusque procul: niueis Pax aurea bigis,
Et lætæ Charites, & pleno Copia cornu
Luſtrarent agros, luſtrarent oppida: nec tu,
Iam genus infidum, terrasque exoſa nocentes,
Sydereos populis vultus, Aſtræa, negares.
Nũnc totâ licet armiferæ Sors nube pharetræ
Ingruat, & ſæui denſo circùm agmine caſus,
Omniaque in noſtras iurent elementa ruinas;
Nulla hominem lædit, quàm quæ promanat ab ipſo,
Vis grauiùs. Duris poſſemus parcere fatis,
Duraque ſòrs nobis didiciſſent parcere fata;
Ni furor humanus ſtimulis vrgeret, & hoſti
Adderet externo vires ciuilis Enyo.
39. Vltima lætitiæ, ſed princeps, regula, parque
Omnibus vna, Deo hærere, illum mente tueri,
Perpetuo illi nexu, & amoris fœdere iungi.
Venimus ad ſummum: procul hinc cureque, metusque
Intima quæſitæ dudum penetralia Pacis

Digitized by Google

En tandem patuere: en ipſa in limine ſacros
Expedit amplexus, Thaumantide cincta perenni,
Cælicolûm & qualis mentes beat. Aſpice, quantus
Frontis honos, placido quæ vernat gratia vultu:
Vt nil ſyderibus concedunt lumina, blandæ
Nectar vt hyblæum ſuperat facundia linguæ.
Penelopem agnoſcas diuinam, cui procus Orbis:
Nec diſpar dominæ ſedes. Mitiſſimus aer,
Sponte ferax tellus: procul imbres, fulmina, nimbi:
Ignotum quid hyems, quid cæli flammeus ardor:
Autumnus totos, totos ver occupat annos.
Mille voluptatum ſpecies, mille obuia paſſim
Lætitiæ argumenta: hìc feruere lacteus amnis;
Melleus hìc ſpumare latex. Circùm vndique feſtas
Implexæ manibus Charites, blandique Lepores
Exercent choreas: plaudentibus vndique circùm
Nectarei volitant Riſus, & Gaudia pennis.
Hæc nobis iam meta: huc remi, & carbaſa toto
Accelerent niſu: nil iam debere procellis,
Nil pelago ſupereſt: tam dulci in littore proras
Perpetuò religandum. O cordis plena voluptas!
O vitæ ſyncera quies! Libare Deorum
Ambroſiam, puro ſatiari Numinis hauſtu,
Æternumque auidis illud conſtringere votis,
Vnum implet quod vota, exceditque omnia, Pulchrũ;
Quis dolor, aut quæ tam læto intercedat amori
Anxietas? Vllamne ſitim, aut faſtidia norit,
Nectaris ætherei potor, conuiua Tonantis?

40. Finitis quicunque Bonis amor imminet, æſtu
Ambiguo nunc huc volitans, nunc ſpargitur illuc:
Inſtar apis, quæ per ſaltus gentilis Hymetti
Iam thyma; ſerpillum iam circuit, & modò glauco
Rore maris; niuei pendet iam flore liguſtri,
Singula delibans auidè, ſubitòque relinquens.
Quid faciat? Patulo quanquam aggeret vtraq; cornu
Hinc natura ſuos, illinc ſors æmula cenſus;
Nil ſatis, immenſo vacuum dum Numine pectus.

Nam

Nam neque plena quies votis, integra Bonorum
Obtigerit ni Summa; nec, extra Numinis alueûm,
Hæc alibi iunctis fas confluere omnia riuis:
Hoſtili cum ſe excludant inſenſa viciſſim
Diſſidio: vix vt quodquam ſit prendere, multis
Interea ni poſthabitis longèque relictis.
Omnia ſed ſocio, fac, demum fœdere iungas;
Non tamen hic idem, varijs tot fructibus aptus,
Perfectumque adeo immenſis complexibus orbem
Efficiens, ſortis cumulus ſat nectare largo
Explerit ſitientem animum. Vel ſcilicet vno
Congeriem totam ſimul amplecteris amore:
Totque idem diſtractus amor per dona, nec vſquam
Integer, haud pleno libabit ſingula ſenſu;
Vel proprios cuicunque Bono diuiſeris actus,
Et rerum numerum numero exæquabis amorum:
Nec plenè tunc vllus amor ſatiabitur, vni
Hærens quippe Bono: cum, quod minus omnibus, illo
Sit pariter minus. Vni igitur iungenda voluntas,
In quo non Bona conueniant modò cuncta; ſed vnum
Prorſus idē ſint cuncta Bonū: quod, Numine dempto,
Sollicitis nequicquā animis circùm omne quod vſquā
Terrasque, & maria, & ſuperos rimaberis axes. (eſt,

41. Adde, quòd æterna ſeiunctū ab origine, præter
Quàm mutilū, quodcunq; Bonum, neq; cordibus aptū
Implendis; multâ hærentûm contage Malorum
Inficitur: totum vt nequeat, totoque requiri
Pectore: diuerſis animos ſed motibus vrgens
Hinc cupidos trahat; hinc refugos auertat: amorque
Illius haud leuiore odij ſit pondere miſtus.
At tibi, inexhauſta ò hominum, Diuûmque voluptas,
Summe Pater, quæ miſta Mali contagia? Toto
Aut quid ibi non conatu & vi mentis amandum,
Nil vbi non ſummum, ac ſolidè plenèque beatum?

42. Præterea, certum nobis propriumq; perennet,
Quidquid id eſt, felix quo vita impletur, oportet:
Nec quidquam proprium magis immotumq; fruenti,

Digitized by Google

Ac Deus. Inuitis alios nam denique cenſus
Fortunæ, duræque rapit violentia mortis.
Vllane ſeu ſortis, ſeu lethi iniuria poſſit
Hunc rapere, occiduo cui nunquam eſt limite claudi,
Quoque frui nobis haud tempore certiùs vllo,
Occidui quàm ſub finem conceditur æui?
43. At metuas forſan, ne nil tibi iuris in ipſum.
Parce metu: plùs ille tuus, quàm cætera, rerum
In cenſu quæcunque putas numeranda tuarum,
Fida licet domino, & nunquam peritura manerent.
Omnis Amans in ius ſortemque euadit Amati,
Et tantùm iuris, quantùm vis creſcit amoris.
Atqui nemo Tui, quàm Numen, amantior: haud ſis
Carior ipſe tibi. Quid enim vel fingere tantum
Noueris, aut optare Boni, quin plura Parentis
Ætherei immenſus dederit, det, ſpondeat ardor?
Hoc, quodcunque vides, tam vaſtis vndique circùm
Diffuſum ſpatijs, varijs tot partibus aptum,
Ordine tam miro digeſtum, & fœdere iunctum,
Hoc totum bonus ille tuos effinxit in vſus
Naturæ communis opus. Tibi Cærula ponti,
Æthereoſque orbes, infixoſque orbibus ignes,
Regnaque terrarum, &, terris quæcunque, vel vndis
Sparſa meant, volucri findunt vel Nubila gyro,
Brutarum iuſſit famulari ſæcla Ferarum.
Hoc liquidum iubar, hic cæli ſpirabilis hauſtus,
Tot variæ rerum ſpecies, tot Commoda vitæ,
Illius omnia ſe teſtantur munus. Amanti
Quid deerat, niſi tantorum vt ſuprema coronis
Ipſe operum foret, atque ſuis ſe denique donis
Adderet? Hoc etiam non enarrabile munus
Appoſuit: totumque homini, poſt omnia, ſeſe
(Nulla quod auſa forent, vtcunque capacia, vota
Poſcere) inexhauſto profudit amore. Nec illum,
Nominibus tantis, perque hæc tibi pignora nexum,
Pleniùs eſſe tuum, quàm ſis tuus ipſe, fateris?
44. Hinc adeo, nemo cum nos impenſiùs illo
Alter

Alter amet; noua ſe ratio, manifeſtaque prodit,
Cur illo pariter iucundiùs alter amari
Nemo queat. Nam nec dulcis, niſi mutuus, ardor;
Nec, niſi Amatorem æthereum quo pectus anhelat,
Mutuus ex toto calor eſt. Da Theſea, da, quem
Eurialus Niſo, Pyladi præponat Oreſtes:
Quisquis erit, cum plura ſimul cogatur amare,
Iamque ſibi hæc animi partem, iamque illa requirant;
Haud vni, quantus demum eſt, ſe impendet Amico:
Sic hominis mens, ſic illam ſua limite curto
Includit natura. At non & maximus Author
Finibus his cogi. Quamvis ſimul omnia curet;
Vſque tamen toto ſe curat ſingula. Plenum
Ceu rutilus (ſi noſtra illi componere fas eſt)
Aſtrorum genitor nullis non partibus ignem
Commodat, in partes quamvis ſimul influat omnes:
Aut animæ ceu vis pereuntibus indita membris
Non ſecus extremos vngues, tenuesque capillos,
Ac reliquam vegetat, ſolida indiuiſaque, molem.
Nusquam ſe minor eſt, nusquam non vndique plenus
Immenſi fons ille Boni: ceu Numine toto
Omnia; ſic toto quoque ſingula Numine complet.
Tu frueris, fruitur ſimul hic, ſimul ille, fruuntur
Innumeri: nihil inde tibi, aut decerpitur vlli:
Omnibus vnus amor par, omnes efficit vnum.
Riualis non ergo metus, non inuida mentes
Cura coquit: quin tam largo, immenſoque, nec vllam
Non hominum ſuperante ſitim dulcedinis hauſtu
Iam ſaturis noua ſit ſocios habuiſſe voluptas.

45. Quid referã? Sortẽ quòd amor permiſcet Amãtũm,
Alterutri fuerint quæ vel Bona, vel Mala cunque,
Ambobus faciens communia. Noſcere promptum
Vnde etiam, quanto reliquis diſcrimine præſtet,
Æternum primumque Bonum qui reſpicit, ardor.
Nempe alibi, lætis coeant cum triſtia, parsque
Sæpiùs hæc illam præponderet; amplius ægro,
Quàm gaudî, mæroris adeſt vectigal Amanti.

Ilicet infelix, cumulo creſcente Malorum,
Cum ſua vix portet, damnatur & illa ſubire,
Vnanimum lugenda premunt quæ, fata, ſodalem!
Haud ita, ſupremo, tedis melioribus ardens,
Cælicolûm Regnatori qui iungitur. Ecquid
Scilicet in tali lugendum occurrat Amico?
Ecquid non penitùs felix, non vndique lætum?
Ipſe ſibi vita, & gaudî immortalis origo,
Totius menſura Boni, immutabile Pulchrum,
Externis nusquam cauſis obnoxius, vno
Naturæ, ſortisque vices, diuerſaque nutu
Fata regit, nullis per tot labentia ſæcla
Siue minor damnis; ſiue auctior incrementis.
Penè Deum viues, diâ tibi lampade pectus
Si caleat: tot tam miræ, queis ille beatus
Perpetuùm, dotes tua ſors, tua gaudia fient.
Talis Amans, qualis ſuus eſt amor: accipit omnis
Hinc habitum formamque animus. Telluris opacæ
Cur gremio cæli tam nobile pignus, honeſtum,
Eximiumque adeo, & generoſum pectoris ignem
Defodis, ipſe luto ſimul infodiendus eodem:
Illius audaci cum vectus in ardua niſu
Æternæ penetrare queas ſacraria lucis,
Cælicolûmque auram ſpirare, & Numinis æuum?
46. Nec labor huc nimius conſurgere. Sponte ſuâ
Ilicet vt ſacri excepit primordia flatûs, (mens,
In Superos feſtinat, humum pertæſa, ſuoque,
Vnde genus trahit, exultans ſe iungere fini.
Quin etiam, vano quoties illuſa decore
Corporeis hæret formis, ſub imagine fictâ
Neſcio quid magni vel tunc Genitoris anhelat.
Omnibus hic vnus ſtat votis terminus: omnis,
Deuius vtcunque, & varijs anfractibus errans,
Huc tandem redit, huc animi conuertitur æſtus.
Singula quippe Boni tantùm ratione voluntas
Cum petat, inque Bonum quovis ſe dirigat actu;
Haud pote, quin ſummi occultâ ratione Parentis

Cuncta

Cuncta petat, quin ſummum actu quocunq; Parentem
Reſpiciat. Nempe ille Boni forma integra, & omne
Illius eſt leuis vmbra Bonum, quo cætera quæque
Inſignita placent. Sic Numen in omnibus vnum
Ignaros trahit: ignotum ſic Numen amatur.

47. Impetus hic igitur mentis ratione iuuandus,
Vt norit, quid amet: riuisque, & inanibus vmbris
Poſthabitis, ipſum omnigeni apprendiſſe decoris
Exemplar primum, immenſæ dulcedinis ipſum
Iam quærat ſitiatque æternum attingere fontem.
Nonne vides, vt, quæ ſol ſydera pinxerat abſens,
Obſcuret præſens? Vix cælum emenſus, Ibero
Gurgite flammantem currum, igniuomosque Iugales
Condidit; en vacuo Mundi radiare theatro
Aſtrorum formoſa cohors, Saturnius ignis,
Iamque nitens medio; iam pleno Cynthia vultu,
Et Venus, & Mauors, & cum Ioue lucidus Arcas.
Quàm rutili crines! Quàm viuida Solis imago!
Inſcia miratur tellus: totidemque, creatos
Lucis in imperium, & redituri fræna diei,
Iam patrio credit temoni aſſueſcere Phœbos.
Sed ſatis hac fulſiſſe tenus: iam ſubdite faſces,
Noctiuagi procul o ſoles iam cedite. Magnus
Ecce diem verum lucis pater aduehit: Orbem
Ecce ſuo coram manifeſtus lumine ditat,
Fulgida ſtellarum nox, occaſusque nitoris,
Quem dederat. Simul vmbriferæ caliginis horror
Deterſo fugit axe; ſimul, vibrantia cæcum
Per chaos, obtuſis vaneſcunt ſydera flammis.
Vnum ſat cælo ſpectari Hyperiona: tantas
Ætherei fulgoris opes, tot ſplendida lucis
Argumenta ſuæ ipſe oriens obnubilat vnus.
Haud ſecus, æterni veniens ab imagine Solis,
Diſcolor hæc mundi ſpecies mirantia grato
Lumina ſuſpendit viſu, dum maximus author,
Et Pulchri fons omnis abeſt. Seſe ille videndum
Præbeat, innatis quantus fulgoribus ardet;

Ocyùs immenſâ perfuſis lampade totus
Ex oculis, nebulæ, fumique volatilis inſtar,
Nocturnus rerum decor effluit: obruta blandæ
Fax Veneris: nusquam lucris Cyllenius ardor
Dulcè micans: nusquam tua, Mauors, fulgura: nec tu
Faſcibus ambiris iam, Iuppiter: vna renidet,
Vna animum ſummi præſentia Numinis implet.

48. Felix, cui medias terreni carceris inter
Hæc tenebras exorta dies: qui lucis auaræ
Occiduum iubar, & ſubluſtri in nocte micantes
Aſtrorum radios diuino ſole rependit:
Furatusque oculos ſcenis pereuntibus, vnum,
Limite comprenſum nullo, miratur, amatque
Immortale Bonum, ſe totius vnde propagat,
Natiuo velut e' pelago tot didita riuis,
Vena Boni: proprium nunquam tamen illa relinquens
Principium, neque fontis opes tam perpete fluxu
Imminuens, viuo ſed gurgite plenior intus
Stagnans, & cumulo in ſeſe vberiore redundans.
Ergo non humiles illum curæque, laboresque
Exagitant. Alijs peregrino e littore merces
Ducendas, licitandum Alijs per bella, ſuperſit
Quod cineri, nomen, rapiendaque ſceptra relinquit.
Sat cælum ſibi, ſat regni immortalis honores.
Votorum pax alta: ſuo mens pondere nixa,
Blanditijs iuxta, ac terroribus inuia: nusquam
Ignaui gemitus, & frontis nubilus aer.
Vt libet, horrendos moueat Dea cæca tumultus;
Eripiat cenſus, laribus detrudat auitis,
Proſtituat dominâ ſpolium venale ſub haſtâ;
Nil quaſcunque minas, nil quævis damna moratur;
Turbinibus nullis vitæ, ſortisque procellis
Læditur: humanis ſed caſibus altior, inſtar
Ventosque, pluuiasque ſuperuadentis Olympi,
Aeris hanc imi illuuiem, cælumque paluſtre,
Et, quibus infelix craſſæ vicinia terræ
Concutitur, trepidos æui reuolubilis æſtus

Sub

Sub pedibus linquens, telluris transfuga, eiuis
Aſtrorum, maior mortali, Numine plenus,
Iam fruitur meliore polo, iam lætus anhelat
Syncerum iubar, atque aurai ſimplicis ignem.

49. Hanc olim in ſyluis, inter deſerta Ferarum,
In ſyluis, Ægypte, tuis, quà deuia cunque
Hoſpitium, dulcesque daret ſpelunca latebras,
Pene omni abiunctam perituri à corporis vſu,
Corporeo quamvis incluſæ carcere, vitam
Illuſtres duxere animæ, gens neſcia fraudum,
Relliquiæ inſontis ſæcli, veteriſque metalli.
Longè illis ſtudium lucri, famæque cupido:
Nulla Venus, thalamiſque ſedens genialibus Hymen.
Degeneres cælo ſenſus, hominemque caducum
Exuerant: neque ſeu victùs, ſeu pigra ſoporis
Cura Deo fixas poterat diuellere mentes.
Durus vita labor, corpus graue pondus, amarum
Exilium tellus. Tu, cæli arcana voluptas,
Paſcebas animos; tu, flammiger halitus, imis
Senſibus incideras: te votis omnibus vnum
Ardebant, toto te pectore ſuſpirabant.
Sorte quid hac melius? Quæ fortunatior æui
Conditio? Anne alia occiduo iam lumine functos
Vita manet, Superûmque æternâ in ſede receptos?
Nonne amor hic diæ cumulus, menſuraque ſortis?
Nonne hoc, Cælicolûm ſatiat qui pectora, totus
Nectaris immenſi gurges de fonte redundat?

50. O Pater, ò magni maior mens, vitaq; Mundi,
Principium ſine principio, ſine limite finis,
Vnde omnis natura oritur, quòque orta recurrit,
Tu noſtris requies, & meta nouiſſima curis,
Tu primus, tu ſolus amor: te, fluminis inſtar,
Per ſcopulos, obiceſque, per æqua, & iniqua viarum
Acceptum pelago properantis reddere cenſum,
Antiqui memores ortûs, ripâque minori
Indociles cohiberi, auido perquirimus æſtu:
Nec modus, optatum donec iam prendere litus,

Permiſtoſque tuo contingat in æquore mergi.
Eſt ſuus, eſt certè cunctis decor, vndique circùm
Spectantur quæ fuſa tuæ miracula dextræ.
Pulchra maris facies, placidè ſtagnantibus vndis,
Pulcher inextinctis radians fulgoribus æther:
Nec tellus non pulchra ſatu tam diuite florum,
Florumque, & ſegetum. Quantò at tu pulchrior ipſe,
Diuini cuius tellus, mare, lucidus æther
Nil niſi ſunt vmbræ, niſi ſomnia vana decoris:
Hòc tantùm formoſa, tui quòd luminis inſtar
Obijciunt, quòd tu, Pulcherrime, pictus in illis.
Te mihi Sol radijs, vernis te prata colorant
Muneribus, te noctis opacæ myſticus horror
Vmbrat, te Zephyri ſpirant, Volucreſque loquuntur,
Arguto vitrei referunt te murmure fontes.
Quidquid vbique vident oculi, mens protinùs illic
Te ſimul, & multò plùs te videt: omnia plena,
Magne, Tui: tacitis clamoribus omnia latè
Ingeminant. Quid ſpectra inhias euanida? Summum
Artificem quære: Artificis metire perennes
His vmbris radios, & non imitabile lumen.
Ille tuos, qui te, qui nos tibi finxit, amores
Poſtulat: ille habeat, mundi primæua Venuſtas,
Formaque formarum, Summarumque vltima Summa.
Nil tamen externis opus eſt mihi vocibus. Ipſe
Sat monet hoc animus, tibi, Formoſiſſime, factum
Se penitùs, neque lætitiæ vitæque beatæ
Synceros latices alio ſibi fonte petendum.
Ipſe meo conceptus amor ſub pectore, cui par
Nil alibi rerum, totius amabile Pulchri
Te petit exemplar, puri te luminis orbem,
(Quà licet è mediâ miſeræ caligine terræ)
Sublustri procul in nebulâ clauſumque, micantemque
Vſque ardens miratur, & indefeſſus anhelat.
Nil ſuper optandum: ſordent Mortalia, ſordet
Ipſa etiam, quanquam radiantibus intertexta
Aſtrorum formis, quanquã vndique, & vndiq; geminis

Fuſi-

Fuſilibus conflata, alti domus ignea cæli.
Ah quoties, gelidis cum rareſcentibus vmbris
Purpureo rediuiua dies conſurgit Eoo,
Sol vbi, vociferor, meus eſt? Quandoque licebit,
Illum, illum pulſis tandem ſpectare tenebris,
Cuius inoccidua roſeus præ lampade Titan
Vix hebetis radij, vel ſemiânimis ſcintillæ
Inſtar habet? Quoties, Lethæis humida ſuccis
Incubuit feſſo cum nox altiſſima Mundo,
Suſpirantem audit, quòd adhuc æterna moreris,
Sollicitas, animi requies, componere curas?
Omnia te ſine pro nihilo, plusque ipſe vel vnus
Omnibus es. Cupidas irritant cætera mentes;
Tu ſolus ſatias, ſolus dulcedine verâ
Perfluis, immenſosque ſinus immenſior imples,
Lætitiæ cumulus, cordis cor, vitaque vitæ.

51. Exorere o igitur noſtræ, lux aurea, nocti;
Diſiectisque, quibus miſeras inſcitia mentes,
Horrida primæuæ ſoboles, inſcitia, culpæ,
Excæcat, nebulis, radiorum gurgite viuo
Attonitos ſenſus, inhiantia lumina comple.
Noui ego, lætitiæ quantus Mortalibus ardor:
Quàm dulci tormento, & quêis præcordia verſet
Illecebris agnata Boni Pulchrique cupido.
Per freta, per ſcopulos auidi, per tela, per ignes,
Illius vnde vnde inuitet leuis vmbra, ſequuntur.
Quos capient motus, quantò maioribus ibunt
In prædam ſtimulis, ſynceri vbi cominus ipſa
Obtulerit ſe forma Boni? Rimantur inerti
Obſcœnos marcore, & pumicibus ieiunis
Sudatos latices, melior quia fallit hiantem
Vena ſitim: qualis nimij ſub ſydere Cancri,
Puluerulentum iter, æſtiferumque viator anhelans
Æthera, perſpicui longè ſi copia Cydni,
Martiaque, aut Virgo; liuentibus arida ſtagnis
Proluit impatiens, craſſisque paludibus ora.
Te liquidum, nulloque arctatum littore noſcant

Ambro-

Ambroſiæ pelagus ; tenues in puluere riuos,
Protinus auerſis meliora ad pabula votis,
Incipient, putres & faſtidire lacunas .
Tuque adeo fibras, & corda vacantia ſolus
Implebis : ſolum flagrantibus vſque medullis
Te ſitient : quam quæſierant per plurima, in vno
Omnimodam nacti requiem, æternùmque fruendam.
52. Cuius ego arcanos operosâ indagine fontes
Veſtigare orſus, quæ iam vagus æquora luſtrem ?
Quosque nouos ineam curſus ? Hìc plena voluptas :
Hìc quodcunque alibi palantia vota requirunt :
Omnibus hìc animi ceu tenditur vltima curis
Linea ; ſic noſtris quoque meta laboribus eſto .
Soluite (iam lætos tetigerunt carbaſa portus)
Soluite littoreis, Muſæ, ſua munera Diuis .

Finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA TOTIVS OPERIS

Singulorum Librorum contextum per diſtincta ſuis numeris Capita exhibens.

LIB. I.

In quo de Fortuitorum Bonorum contemptu agitur.

1. OPERIS propoſitio, & in præcipuas duas partes diuiſio.
2. Inuocatur Ratio cæleſti lumine adiuta.
3. Immo & ipſum Verbum Diuinum, totius rationis, ſapientiæque integerrimus fons.
4. Honores ei perſoluendi per allegoriam deſcribuntur.
5. Prima Tranquillitatis regula affertur, nihil ex fortuitis atque externis Bonis mirari.
6. Qui enim talia magni faciat, miſerâ hunc, & ſo-

Digitized by Google

& ſolicitâ illorum acquirendorum cupidine, continenter vrgeri.

7. Alexander Macedo exemplum, irrequietus ac mærens, quòd nimis anguſtè intra vnius Mundi fines ſe imperare arbitretur.

8. Reprehenditur inſani Regis ambitio.

9. Eadem reprehenſio ad cæteros quoslibet Fortuitorum amatores extenditur.

10. Nec quiſquam ab eâ immunis, etiamſi moderata, & facilè parabilia ſe dicat optare.

11. Nam omnis eiuſmodi rerum cupido inexplebilis, &, licet initio modica, per votorum ſucceſſus augetur.

12. Probatur id ex vanitate talium Bonorum, vtpote nihil ſolidi habentium, quo animum ſatient.

13. Vnde neceſſariò conſequitur, vt ille, adhuc vacuus & eſuriens, ex alijs ad alia quærenda ſe porrigat.

14. Adde, quòd Bona fortuita non ſolùm, vt vana, inſatiabili cupiditate plura acquirendi; verùm etiam, vt caduca & fragilia, continenti ſolicitudine acquiſita ſeruandi admiratores ſuos torquent. Quæ illorum fragilitas hic fusè explicatur.

15. Tum ex eâ poſſidentium anxietas & formido colligitur.

16. Poſtremò lætitia,& ſatietas, cuius gratiâ Fortunæ Bona exquiruntur, potiùs pauca appetentibus, quàm multa poſſidentibus ſolet contingere.

17. Quanta igitur eorum ſtultitia, qui multis egere perpetuò malint, talia ſine fine appetendo; quàm paucis ſtatim expleri, ſuperuacua eorum vota abſcindendo?

De-

Digitized by Google

18. Deſcribitur Sapientis felicitas, qui externa contemnat, nihil ideo ſolicitus de Magiſtratibus & imperijs, cum longè præclarius, & verius, inani abſque pompâ, in ſeipſo regnum obtineat.

19. Eiuſdem magnanimitas in diuitiarum neglectu, deridendiſque Mortalium circa gemmas, metalla, & id genus crepundia puerilibus ſtudijs.

20. Securitas demum, qua cætera omnia Fortunæ Bona ſuſque deque habet, ceu ſuperuacua, nulloque pacto comparanda cum animi Bonis, quæ ſola homini ad lætitiam & quietem ſufficiant.

21. Aliquod huius ſapientiæ ſpecimen in Diogene Cynico.

22. Eadem ſapientia in Socratis exemplo adumbrata.

23. Inducitur per Proſopopœiam Socrates, iuſtâ, & ad libri vſque finem productâ Oratione demonſtrans, ſynceram felicitatem, animique lætitiam nemini ex quantâcunque Fortuitorum copiâ ſperandam.

24. Admiratur igitur primò vulgi vecordiam, extra ſe ſuam emendicantis quietem: cum tamen pax ſolida in externis conſiſtere, & donari à Fortunâ minimè poſſit.

25. Affert huius Propoſitionis argumentum certiſſimum, & totâ Oratione confirmandum: quia nemo felix, integræque compos lætitiæ, niſi eximijs, & certis, ſuiſque fruatur Bonis: quæ vtraque conditio Fortunæ muneribus, tum per ſe ſe exiguis, tum extra vtentis arbitrium poſitis, abeſt.

26. Abeſſe primam probatur, oſtenſo, quàm

vilia

vilia paruique pretij illa ſint, per comparationem cum præſtantioribus multò diuitijs, quas Natura nemini Mortalium non fruendas expoſuit.

27. Affertur Aduerſariorum reſponſio, contendentium Bona Fortunę, eſto inferiora cõmunibus Naturæ diuitijs; pretio tamen ijs anteſtare, vtpote ad proprium vnius domini fructum ſpectantia. Cui reſponſioni dupliciter obuiam itur: primò, quia nihil inde amplificatur poſſeſſæ rei fructus, immo clariùs elucet, quàm ſit anguſtus & tenuis, cum ad plures ſimul nequeat pertingere.

28. Secundò, quia falsò iactatur, fortuitorum Bonorum fructum à dominis ſolummodò percipi: cum magna illius pars ad populum etiam pertineat: vt liquidò apparet in veſtium, villarumque magnificentiâ, & cæteris de hoc genere quibuslibet Bonis, externam ſolummodo in ſpeciem paratis.

29. Neque rurſus reſpondeant, præter huiuſmodi pompam, ac ſpeciem, qua populus ex æquo fruatur, ſupereſſe alios in Fortunæ opulentiâ pulcherrimos, & proprios Diuitum fructus, honorem nimirum, & voluptatum cuiuſquemodi copiam.

30. Nam, ad voluptates quòd attinet, ſi de naturalibus, puta cibi, atque ſomni, loquamur; negatur ampliores eas fortunatis hominibus, quàm pauperrimo cuique ſuppetere.

31. Patet id in cibo, atque potu, quorum ſuauitas ex vtentium potiùs naturali indigentiâ, & ſyncerâ habitudine; quàm ex ſaporum delectu, ſumptuoſiſque apparatibus profluit.

32. Nec minùs in ſomno, quem non ſtragulorum

lorum opulentia, & mollities, ſed corporis laſſitudo, & ſecuritas mentis conciliat.

33. Si verò de alijs voluptatibus ſuperuacuis, aut etiam inhoneſtis, turpibuſque ſit ſermo; eſto, illis diuites largiùs circumfluant. Nihil id certè ad commendandas diuitias; ad infamandas plurimùm valet.

34. At, qui Fortunæ copijs excellunt, vulgi pariter admiratione, atque honore præeminent.

35. Quid tum? Nihil hoc honore inanius, & ſapienti expetendum minùs: cum nullo accipientis merito nixus, ex ſolâ deferentium ſtultitiâ originem trahat.

36. Additur ex abundanti, Fortunæ munera non modò non ingentium Bonorum; ſed neque Bonorum nomen mereri: quin veriùs Malis eſſe accenſenda: vtpote quæ plus noceant, quàm proſint. Operæ igitur pretium fore, damnorum ex ijs profluentium grauitatem perpendere, cum fructuum tenuitas iam ex dictis abundè conſtiterit.

37. Morbi primò ſe obijciunt, ab immoderato voluptatum vſu, qui opum copiam plerunque comitatur, manantes.

38. Sequuntur inſidiæ, nunquam ijs non timendæ, qui magna penes ſe necis ſuæ præmia habent: adeo ut ne coniunctiſſimis quidem tuto auſint ſe credere, quin eos ſæpe infeſtiſſimos omnium experiantur.

39. Nec eòdem non pertinent luctuoſa tot vrbium excidia, quas infelix opulentia luxu eneruatas facilem hoſti prædam obiecit: cum contra Scythas inopia ſua ab hoſtium incurſionibus tutiſſimos ſeruet.

40. Declarantur vberiùs modò dicta exemplo,

Digitized by Google

plo, ſiue fabulâ Nucis, quæ fertilitatem, quâ olim gloriabatur, ſerò tandem, vt noxiam, deuouit.

41. Succedunt poſtremò eâdem ab radice pullulantes animorum teterrimæ peſtes, arrogantia, vecordia, crudelitas, communiſque iuris impatiens, & nihil ſibi vetitum ferens libido.

42. Hæc autem omnis Fortunæ indulgentis malignitas à contrario luculentiùs oſtenditur; compoſitâ cum infelicibus præſentis æui diuitijs, innocentiâ & ſecuritate, quæ veteris aureæ ætatis pauperiem beauit.

43. Quâ occaſione indignatus Socrates, rem adeo noxiam tantâ in admiratione, & honore apud homines eſſe, obiurgat eorum ſtultitiam, qui, in ferendo de rerum bonitate, vel malitiâ iudicio, multitudinis potiùs opinionem, quàm rationis ductum ſequuntur.

44. Neque verò ſola pretij magnitudo, vt hactenus euictum eſt; ſed altera quoque Bonorum felicitatem conſtituentium nota, certa nimirum dominij proprietas, in fortuitis poſſeſſionibus deeſt; vt ex eo planiſſimè euincitur, quòd illas retinere pro arbitratu minimè poſſumus, ſed, vel inuiti, toties amittimus.

45. Hinc adeo, ceu ritè probatum, colligitur, fortunatos homines, quantâcunque in externarum opum affluentiâ, maximâ laborare domeſticæ pacis inopiâ, vtpote quæ nonniſi præſtantiſſimis, maximèque certis innititur Bonis.

46. Hæc igitur Bona, contemptis fortuitis, Euthymiæ ſtudioſo quærenda, immo, vt veriùs loquamur, fruenda, cum vltrò ſe ingerant, intraque animum ipſum naſcantur, nec alio, quàm noſtræ voluntatis, emenda ſint pretio.

LIB.

L I B. II.

In quo aduerſùs præuiſa Fortunæ Mala animus communitur.

1. FElicitas hominis, ex eo potiſſimùm nomine, quòd Animi tranquillitatem, lætitiamque, extra Fortunæ vel fauentis, vel aduerſantis arbitrium, in Sapientiâ, Virtuteque ſuâ poſitam habeat.

2. Cuius primam effati partem cum in ſuperiori libro perſpicuè oſtenderimus; reliquum eſt, vt ſecundam in hoc, & conſecuturis duobus pari perſpicuitate oſtendamus: ac, quemadmodum ibi nullam fortuitorum affluentiam Bonorum fundandæ Sapientis lætitiæ vel neceſſariam, vel idoneam euicimus; ſic nullam deinceps fortuitorum violentiam Malorum eidem labefactandæ parem eſſe euincamus.

3. Neque tamen propterea opus ducimus, ad ſplendida de huiuſmodi Malorum ingenio figmenta confugere: quaſi nullam nocendi per ſe ſe vim habeant, ſed tota hæc ipſis, cæteroqui inſontibus, ab inani hominum opinione affingatur.

4. Illud potiùs, tanquam propoſitionis allatæ fundamentum, ſtatuimus, magnam humanæ menti vim eſſe ad externos ſibi caſus triſtiores aſperioreſque reddendos: quòd in ipſis nimirum malignitatem ſeu falſam effingat; ſeu veram amplificet; ſeu, quæ admiſtis (vt ſemper contingit) Bonis mitigatur, puram, & à meliori parte ſeiunctam concipiat: adeoque,

Digitized by Google

qui hæc mentis vitia ſapienter correxerit, poſſe illum ita externorum Malorum acerbitatem lenire, vt nihil tranquillitati ſuæ obſint.

5. Id porrò perſpicuè comprobari videtur diſſimillimo animi habitu, quo diuerſi eoſdem ſæpe caſus excipiunt, alij ad extremum mærorem deiecti; alij ſuâ nihil è quiete dimoti.

6. Cum enim res vtrobique eædem ſint; non aliunde profectò, quàm ex diſſimili circa ipſas iudicio ea oriri animorum, atque affectuum diuerſitas poteſt.

7. Propoſitæ modò rationi noua lux additur tum illius exemplo picturæ, quæ diuerſas diuerſo è latere ſpectantibus imagines reddit; tum prægnantium fœminarum, quæ, quas animo ſpecies concipiunt, eas teneris ſæpe fœtibus ſolent imprimere.

8. Iamuero hæc mentis peruerſitas, fortuitos aduersùm ſe caſus opinione ſuâ roborantis, nuſquam manifeſtiùs elucet, quàm in ſolicito eorumdem abſentium timore. Quid enim tunc externi vim infert? Quidue animum, niſi ipſemet animus, fodit?

9. Reprehenſio eorum ſtultitiæ, qui vano, & inutili futurorum, immo & nunquam fortaſſe futurorum diſcriminum metu, omnem ſibi præſentium Bonorum lætitiam, atque fructum corrumpunt, perpetuiſque ſeipſos, ac penè tartareis cruciatibus torquent.

10. *& ſeqq. vſque ad* 26. Quos ideo cruciatus in fabuloſâ Mycenæi Andremonis imagine expreſſos proponimus.

26. Quanquam parùm poeticis, ad eos adumbrandos, commentis ſit opus: cum plurimorum in vitâ perpetuis agitatâ inanium formidi-

midinum laruis, citra fabulam, paſſim occurrant.

27. Atqui nihil hiſce terroribus ſtultius, & rationi oppoſitum magis: primò, quia nullum afferunt euitandis Malis præſidium: quin ea potiùs anticipant, atque longiùs producunt.

28. Deinde, quia plurima nobis obijciunt ficta, & nunquam euentura infortunia, non alium propterea relaturis improuidæ formidinis fructum, niſi, vt inanium ſolicitâ expectatione Malorum verè triſtes, ac miſeri ſimus.

29. Poſtremò, quia plus ſæpe cruciatùs ex Mali prouiſi metu, quàm ex ipſo Malo præſente percipimus: cum eo ingenio ſit timor, vt & maiora veris concipiat, quæ procul intuetur, Mala; & quouis temporis puncto totam eorum longitudinem colligat, collectâque adeo vehementiùs animos torqueat.

30. Quæ vltimo loco propoſita ratio vt planior ad intelligendum ſit; ſtatuitur quauis in re aliud eſſe amplitudinem ſpatij, aliud vim, & vehementiam naturæ, nec, qui dolor ſit longior, eum eſſe propterea acriorem cenſendum. Nam, cum nullo temporis puncto præteriti, futurique cruciatus, vtpote abſentes, ſenſu percipi valeant; nullo etiam temporis puncto plus doloris re ipsâ percipitur, quàm, ſi vnicum intra temporis punctum ille totus deſineret.

31. En igitur quo pacto Timor ſibi Mala congeminet. Nimirum, cum quouis momento totam ille ſibi præſentem efficiat, & ſimul intra animum colligat futurorum ſeriem dolorum; totâ illâ coniunctim, multòque propterea vehementiùs, quàm eorum innata vis ferat, quouis tempore animum cruciat.

32. Vnde colligitur, nullum eſſe inteſtino hoc tortore funeſtiorem tyrannum: vtpote qui barbaram, nec ab vllis vnquam Tyrannis inuentam, grauiſſimè ſimul, diutiſſimèque torquendi artem & vnus inuenerit, & in eos, quos ſibi obnoxios habet, continenter exerceat.

33. Perpensâ iam illius immanitate, facilis, & nulli non obuia ad eam retundendam praxis proponitur: ſi nimirum, cum anxia futurorum cura pulſare animum cœperit; hæc nobiſcum ritè agitemus: primò, nihil Mali adeſſe in præſentiâ, quod vel corpus, vel animum premat. Cur igitur angamur potiùs Malis, quæ abſunt; quàm fruamur Bonis, quæ ſuppetunt?

34. Secundò, licet multa poſſint aduerſa euenire; incertum tamen eſſe, an ſint euentura. Cur igitur certum incertis de Malis præſumamus dolorem?

35. Tertiò, etiamſi, quod metuimus, ineuitabili lege ſubeundum ſit; non defuturum tamen mox tempus dolendi. Cur igitur anticipare, & producere illam vltro triſtitiam velimus? Cum è contrario, quantò illa grauior mox erit; tantò par ſit nunc ſolertiùs proſpicere, vt præſenti compenſetur ſecuritate, & lætitiâ.

36. Importunis timoribus per hanc praxim reſectis, pluſquàm dimidium recidi ex humanæ miſeriæ cumulo oſtenditur: cum illius longè maior pars in futurorum curâ, quàm in præſentium Malorum ſenſu ſit poſita.

37. Falsò igitur de Naturæ, Fortunæque ſæuitiâ homines queri, iuſtiùs ſui accuſaturos timoris dementiam, qua vtriuſque tum Bona corrumpant; tum Mala congeminent.

38. Non tamen propterea omnem futurorum

caſuum

caſuum præmeditationem, cum Epicuro, Sapienti interdicimus.

39. Quin illam prudentiæ conſentaneam, inſtruendiſque aduersùs ventura Mala animis apprimè opportunam cenſemus.

40. Falsò quippe Epicurus docebat, ex eiuſmodi prouiſu nihil aliud, quàm vanas formidines, & ægritudinis incrementum, referri: cum veriùs Malorum inde ſenſus, atque terror ſoleat imminui.

41. Id verò multis, apertiſque rationibus confici poteſt. Nam Inſcitia, ceu nox, ſemper trepida: proſpectiſque multò leuiùs, quàm ignotis percellimur: eodem planè pacto, quo minùs in luce, quàm nocturnas per vmbras, trepidi ſumus.

42. Exemplo eſſe poteſt ſecurus Alexandri Macedonis, ſub ipſam horam ineundi cum Dario certaminis, ſomnus, quem vigil de futurâ pugnâ meditatio præceſſerat.

43. Atque hinc prima ratio noſtræ aduersùs Epicurum propoſitionis eruitur. Qui enim caſus impendentes proſpexit, illorum iam vim, naturam, & magnitudinem cognitam habet, minùs idcirco ad ſubitam aggreſſionem trepidaturus, quàm qui, nihil eiuſmodi antea meditatus, vel leuiſſimâ, & ſæpe inani conſternatur, ignota pro maioribus ducens, occurſantis diſcriminis ſpecie.

44. Afferuntur nonnulla exempla inanium terrorum, qui ex rerum obiectarum ignoratione oriuntur. Qualis ille, quo ſuos Heliogabalus conuiuas affecit, exarmatis leonibus in triclinium immiſſis.

45. Nec non Panicus, apud Tacitum, Roma-

Digitized by Google

nis in caſtris tumultus, quem perturbatus, trepidèque ruens equus conciuerat.

46. Altera ratio, cur Mala præuiſa leuiùs afficiant, ex eo deriuatur, quia minùs violens eſt tranſitus à prouiſu doloris ad eiuſdem experimentum, quàm ab omnimodâ ſecuritate ad ſubitum, & totum ſimul ingruentem oppoſitæ ſenſum mæſtitiæ.

47. Cui rationi affinis eſt Tertia, nimirum aſſuetudo, & quoddam veluti callũ, quo animus, crebrò ſecum Mala pertractans, ad eorum horrorem, ac ſenſum paulatim obdureſcit.

48. Poſtremum argumentum, quo rerum aduerſarum præmeditatio non ſolùm ſuadetur; verùm etiam, qualis debeat eſſe, explicatur, in eo poſitum eſt, quòd per ipſam locum, & opportunitatem nanciſcimur, idonea aduersùs proſpectos caſus comparandi præſidia: quo in apparatu vel tota, vel precipua vtilitatis eſt ratio. Si enim ita quis futura Mala præuideat; vt nihil de infringendâ opportunis armis illorum vi cogitet, quin potiùs ea cæco timore aduersùm ſe augeat, ac roboret; optimo ſanè iure huiuſcemodi curam, tanquam ſupervacuam, & noxiam, Epicurus potuit reprehendere: nec nos minùs in priore libri parte eam prorſus euellere pro virili contendimus. At ſi non ſolùm de Malis, quæ poſſunt accidere; ſed ſimul etiam de rationibus animus cogitet, quibus illa poſſit tutiùs excipere; huiuſmodi præmeditationem animorum tranquillitati nequaquam officere, quinimmo rationi maximè congruam, & ad moderandos timores accommodatiſſimam eſſe nemo Sapiens negauerit.

49. Et talem profectò expertus eſt Acheorum for-

fortiſſimus Imperator Philopœmen, cuius in hoc genere ſolertia deſcribitur.

50. Neque nos vtilem experiemur minùs, ſi, illius exemplo, quidquid in gerendis negotijs, vitæque in vſu aduerſi poteſt contingere, ſedulo cogitatu aſſueſcamus proſpicere: tum ſtatim, quæ cuique caſui leniùs ferendo aptiſſima ſunt, conquiramus Sapientiæ præcepta, ijſque velut armis mentem tegamus.

51. Horum verò preceptorum copioſa in duobus, qui ſequuntur, libris ſupellex promittitur.

LIB. III.

Vbi generalia fortuitis quibuſque caſibus leniendis afferuntur remedia.

1. POeſim ab otioſis, & futilibus nugis, quæ natiuam illius nobilitatem nimium quantùm infamant, ad ſublimiora reuocandam, humanæque felicitati profutura argumenta: idque adeo in præſentibus libellis nos agere, Socratis exemplum ſequentes, qui Philoſophiam primus à curioſâ rerum phyſicarum indagine ad vtiliorem morum, vitæque diſciplinam traduxit.

2. Cum igitur in ſuperiori libro aduersùs impendentium Malorum formidinem opportuna remedia attulerimus; ea iam tradituros, quibus Sapiens inſtructus vel præſentium Malorum triſtitiam lenire, & in quàuis Fortunæ acerbitate tranquillum animi ſtatum valeat tueri: quæ multò tum excellentior, tum operoſior ſit fortitudo, quàm abſentes, & remotos tantummo-

Digitized by Google

dò caſus citra perturbationem proſpicere.

3. Cauendum igitur ante omnia eſſe plurimorum ſtultiſſimum morem, qui, peruerſo quodam miſeriæ veluti ambitu, ſuis calamitatibus fauent, eaſque tum aſſiduè reſpiciunt; tum in atrociorem ſibi ſpeciem conantur effingere.

4. Immo contra pro virili enitendum, ab infortunijs ſuis, quàm longiſſimè liceat, mentem auertere, deque ijs potiùs cogitare, quæ inflicti vulneris dolorem imminuant.

5. Afferuntur iam communia ſolatia, quibus cuiuslibet Mali mitigari acerbitas poſſit: primumque adeo illud, vt cogitemus, quæcunque nos premunt Aduerſa, perpetuas vitæ leges, & naturalia humanæ conditionis onera eſſe.

6. Quocirca præter rationem de iacturis ſiue rei, ſiue ſobolis homines queri: perinde quaſi non vtramque hac acceperint lege, vt ſcirent, poſſe ſibi aliquando ſub luci: aut quaſi mirum cenſeri vlli debeat, & a Naturæ conſuetudine abhorrens, mutabilia, atque incerta deficere.

7. Quin eodem hoc ex fonte alterum ſolatij genus emanat, nempe ſocietas dolentium: cum ſimilibus fatis, vtpote ordinarijs vitæ vectigalibus, vniuerſum latè prematur hominum genus.

8. Neque inferioris ſolùm ordinis, atque loci Mortales, ſed vel ij, quos benignior Fortuna in ſummo humanarum rerum faſtigio conſtituit, ſceptris, & imperijs ſuperbos: quorum conditio adeo communes mortalitatis ærumnas non exit; vt alijs etiam proprijs, & grauioribus pateat.

9. Afferuntur recentia exempla, primumque Mahometti Turcarum Imperatoris, ciuili Suorum ſeditione in cuſtodiam è ſolio detruſi.

Nec

10. Necnon alterum Sereniſſimi Britanniæ Regis Iacobi, rebellibus Populi furijs paterno nuper ex imperio emigrare compulſi. Licet tantum Heroem ſua potiùs ornet calamitas, magnanimæ pretium Virtutis: interque ſingularia recenſeri mereatur diuinæ Prouidentiæ exempla, Fortunam illi obijcientis vincendam, vt vel in ipſam, quæ regnorum arbitra vulgò appellatur, ſuos porrigat faſces, perque aduerſorum experimenta, ſecundis digniorem ſe probet.

11. Cum igitur nemo vnus Mortalium ab ærumnis intactus occurrat; quàm ſuperbum, iniuſtumque, & pudoris expertem dicemus, qui communem omnium ſortem ſe queritur ſubire?

12. Memorabilis Democriti ars, qua hæc idem argumentum Dario Regi, amiſſam vxorem impotentiùs dolenti, propoſuit.

13. Neque quiſquam obijciat, nonnullos reperiri, aduerſi cuiuslibet caſùs ignaros. Nam, vt verum id eſſe admittatur; & tam pauci huiuſmodi occurrunt; vt inter prodigia potiùs, quàm exempla, mereantur referri; &, niſi mors matura proſpexerit; corruptam ipſi quoque, non ini non paratis in longiori curriculo offenſionibus, qua in præſentia ſuperbiunt, felicitatem dolebunt.

14. Probatur id plurium exemplis, quos, proſperrimo diu curſu prouectos, longior vita in extremum miſeriarum præceps deduxit.

15. Quid, quòd, ſi ritè perſpicimus, non noſtras duntaxat, ſed longè etiam noſtris grauiores ærumnas in plurimis paſſim Mortalium intueri licebit?

16. Vt profectò gratulandum ſit iuſtiùs,

quòd à peculiari plurimorum ſarcinâ nos immunes Sors fecerit; quàm expoſtulandum, quòd communia omnium onera ſubire compulerit.

17. Declaratur vis huiuſce conſecutionis Leporum Æſopicorum fabellâ.

18. Quanquam plus etiam leuaminis alienæ ſortis contemplatio noſtris caſibus feret, ſi ſecuritatem inſuper animaduerterimus, quam plurimi paſſim vel vulgares homunculi in aſſiduis, & grauiſſimis calamitatibus præferunt.

19. Hanc enim ſpectantes indecoræ in leuioribus tolerandis ærumnis mollitiæ, eruditos præſertim homines, & ſapientiam profeſſos, pudebit.

20. Sed quamuis ex alienis infortunijs deeſſent ſolatia; adhuc ex noſtris alia facultatibus ſuppetunt: neque enim quiſquam adeo calamitoſus; vt nihil ſiue externi, ſiue interioris Boni poſſideat, quo ſuum oblectare animum in doloribus poſſit.

21. Cur igitur Mali amarities huiuſce poſſeſſionis ſuauitatem corrumpat: nec potiùs illius hæc ægritudinem iucunditate ſuâ temperet, ac mitiorem efficiat?

22. Adde, quòd non in Bonis duntaxat, quæ poſſidemus; ſed in ipſis Malis, quæ patimur, fomenti, & ſolaminis plurimum ad ea æquiùs toleranda reperire fas eſt: cum præſentis æui Bona, atque Mala ita Deus temperauerit; vt nulla tam immanis calamitas ſit, quæ nihil admiſti ſecum fructùs, atque commodi ferat.

23. Quam rerum diuerſam temperationem non abſurdè Epictetus per duas diſſimiles anſas vtrinque ijs adiunctas expreſſit, aſperam vnam, quaque citra noxam nequeant apprehendi; commo-

modiorem verò alteram, & quæ arripientes nil lædat.

24. Debere igitur Sapientem ad omnia, quę ſibi à Fortunâ porriguntur, ita ſe aptare, vt dextrâ potiùs anſâ, leniore, & innoxiâ, quàm oppoſitâ res oblatas apprehendat; nimirum vt in ijs, quæ Bona duntaxat occurrunt, reſpiciat; ab alijs verò, quæ lædunt, mentem prorſus auertat.

25. Exemplum eiuſmodi ſapientiæ in Iulio Cæſare, & Leonidâ Spartano proponitur.

26. Eadem ſuadetur exemplo Naturæ, cuius diſcors in elementis concordia non alio, quàm huiuſce artis, ingenio tam immota, atque ſtabilis permanet.

27. Ex omnibus porrò triſtioris Fortunæ fructibus illum longè præclariſſimum eſſe, quòd materiem illa Virtutis, gloriæque occaſionem ſuppeditet.

28. Varia proinde argumenta ex honeſtate, atque gloriâ eruuntur, quibus ad inuictam, & hilarem Aduerſorum tolerantiam excitare ſe animus poſſit.

29. Proderit etiam quampluri mùm, meminiſſe, ac pro certo ſtatuere, nihil in rebus humanis ſine Dei nutu euenire: cuius prouidentiſſimo, amantiſſimoque regimini Mortales omnes deceat ſe penitùs tradere.

30. Si enim adeo plenum ille obtinet in rerum conditarum vniuerſitatem dominium, vt, quamuis, nullâ Boni noſtri ratione habitâ, Mundum gubernaret; æquiſſimo tamen animo illius ferri deceret imperia; quantò æquiùs ſubeunda nunc ſint, cum non ad ſuum commodum, ſed ad ſubiectorum vtilitatem, pro parentis potiùs, quàm domini more, colliment?

Digitized by Google

31. Neque obſtat, quòd ſeueriùs aliquando de hominibus conſulat: cum patris erga filios amor non in blanditijs ſolummodo; ſed ſæpe, ac plùs etiam in durioribus imperijs eluceat.

32. Neque item, quòd vtilitas ſæpe nulla cernatur, cuius gratiâ hæc, aut illa de nobis decernat. Satis quippe ad omnia pacatiſſimè excipienda eſſe poteſt, illius benignitatem, ac ſapientiam exploratam habere, quæ, Medici peritiſſimi inſtar, opem ferre vel remedij rationem ignorantibus nouit.

33. Quanquam neque nos ipſos omnis Aduerſorum ratio, & vtilitas latet. Cur enim meritorum, virtutiſque incrementa, quæ inde animus capit, non & nobis ampliſſima tam glorioſos labores perferendi merces: & iuſtiſſima Deo eoſdem imponendi ſint ratio?

34. Sacer amoris iuſtiſſimi ardor, quo voluntas impulſa ſupremo Regnatori, & Parenti ſe omnino moderandam, quàque libeat ducendam permittit.

35. Et quidem hæc diuinæ voluntatis nota, quibuslibet in euentis ritè obſeruata, nedum Mala vt moderatè feramus; ſed vt nihil etiam, quod ſubire compellimur, malum, atque noxium ducamus, perſuadet. Si quis tamen adhuc mentis infirmior vel ea, quæ ſummi Parentis arbitratu acciderint, triſtia pergit, & lugenda cenſere; at aliâ certè ratione ſolari ſe facilè poteſt, perpendens nimirum, quàm citò humana quæuis tum Bona, tum Mala ſoleant deficere, & oppoſitis locum concedere.

36. Cuius rei teſtimonio eſſe poſſunt cum Fortunæ viciſſitudines, quibus C. Marium per proſpera, atque aduerſa iactatum accepimus;

tum

tum aliæ haud prorſus diſſimiles, quarum varietatem & in plurimis paſſim videmus, & in nobis ſæpe experimur.

37. Immo, quamuis per vniuerſam hominis vitam ſe dolor porrigeret; adhuc parui faciendus eſſet, vt breuis: cum, omnium confeſſione breuiſſima humani æui ſint ſpatia: quin etiam quiduis finitum, quantumcunque pateat, ſi cum æternitate conferatur; vix puncto poſſit longius videri. Vt ſanè manifeſtò ſibi homines contradicant, dum hincde vitæ breuitate; illinc verò de longitudine doloris queruntur.

38. Debere igitur quemlibet ſpe finis iam iam adfuturi præſentium cuiuſquemodi ærumnarum ſenſum lenire, immenſumque, & æternum, quod propediem inchoaturus eſt, æuum iam nunc mente præſumere; ad cuius aſpectum, quidquid vllo fine concluditur, vix nihilo maius videbitur, indignumque adeo, quod vel tenui nos curâ ſolicitet.

39. Vltima æquanimitatis ratio ex iracundiæ inutilitate deſumitur, vt quæ nullum prorſus vulneribus ferat leuamen.

40. Quin è contrario natiuam illorum acerbitatem, quam animi fortitudo, & patientia ſolet minuere, agitando, premendoque vehementius irritet.

41. Hæc itaque in promptu habenda ſolatia: his quaſi armis cum Fortunâ pugnandum: quæ ſic illius ictus retundent; vt tranquillè iam pacatèque, & citra animi perturbationem excipi poſſint.

42. Innuuntur & alia doloris fomenta, vt literariæ occupationes, amœni ſeceſſus, Amicorum colloquia, & Muſicæ in primis dulcedo,

ad

Digitized by Google

ad ſedandos tum animi, tum corporis morbos aptiſſima.

43. Sed omnibus tamen externis id genus auxilijs præferendam eſſe Rationem ſtatuitur: quæ, tanquam præſentiſſimum non ſopiendis tantùm, ſed & abolendis quibuſque doloribus pharmacum, ex Prouidentiæ dono Mortalibus contigit.

LIB. IV.

Vbi propria, & ſingulis accommodata infortunijs præbentur ſolatia.

1. QVemadmodum Hippocrates è fano Æſculapij peculiarium morborum medelas olim deſcripſerit; ſic è Rationis ſacratio deprompta ſingulorum nos animi morborum remedia hoc in libro exhibere.

2. Inuitantur Mortales, ſuas vt quiſque ægritudines proferant, certam, & præſentiſſimam ſingulis recepturi medelam.

3. Paupertatis ſolatia, primò, quia nulli non integrum è pauperrimo ſtatim opulentiſſimum fieri, modò rebus deſideria adæquauerit.

4. Secundò, quia interioribus alijs Sapientiæ diuitijs externorum fas eſt inopiam Bonorum rependere.

5. Tertiò, quia Paupertas curarum, & nequitiæ fomenta ſubducit: adeo ut, non modò æquanimiter ferri poſſit; ſed vltro etiam deligi, & quouis pretio mereatur parari.

6. Quartò, quia præſtantium Virorum exem-

exemplis euincitur, nihil ipſam Sapienti ad felicitatem, & gloriam obeſſe.

7. Solatia Alijs, qui indignè ferunt ſe ampliori ex Fortunâ ad inopiam delapſos.

8. Iniuſtum eſſe illorum dolorem probatur. Cur enim lugendum ſit, diuitias poſt vſum amittere, quas lugendum non eſſet, nunquam accepiſſe? Cum è contrario præteritus Bonorum vſus, illorum priuationem, vtcunque dolenda eſſet, ſuæ iucunditatis memoriâ ſolari, & rependere potiùs debeat, quàm acerbiorem efficere. Qua occaſione oſtenditur, Sapientis eſſe, non ex præſentibus ſolùm, ſed ex præteritis quoque Bonis lætitiæ fructum haurire: alioqui breues plùs nimiò voluptates, immo & dolorem perpetuum fore, ſi præterita Bona mæroris potiùs, quàm lætitiæ inter cauſas ponantur.

9. Pari ratione, iniuſtas eorundem eſſe, aduersùs Fortunam querelas, oſtenditur. Quo enim pacto accuſari mereatur, quia munerum ſuorum vſum non perpetuum conceſſerit, quæ, vel ſi nullum conceſſiſſet, accuſari iure non poſſet? Aut cur illius crimen potiùs ducamus, ſua tandem reſumere; quàm meritum, tandiu vtenda annuiſſe?

10. Quanquam, etiamſi Fortuna nos iniuſtè læſiſſet, repetendo, quæ dederat; ſtultum tamen foret aduersùs ipſam iraſci: cum per hanc iracundiam multò maiora nobis ipſi eripiamus Bona, quàm Fortuna vel rapuerit, vel poſſit attingere: Pacem nimirum, Sapientiam, Virtutem. Hanc eſſe propriam hominis poſſeſſionem: hâc retentâ nihil ſolidi, ſuique Boni illi decedere. Relinquenda igitur magno animo Sorti ſua munera, & in noſtris acquieſcen-

ſcendum, Stilponis Megarenſis, ac Diogenis Cynici exemplo.

11. Solatia Natorum mortem lugentibus. Neque enim ipſi vel ſuâ causâ deflendi, vel noſtrâ.

12. Non ſuâ, vt qui, moriendo, vitæ Mala, ac pericula omnia ſemel euaſerint: quæ tanta ſunt; vt nos ipſis potiùs miſerandos efficiant.

13. Neque itidem noſtrâ, ob rationes cum alijs Bonis externis communes, quorum ſupra iacturam ſolati ſumus.

14. At, ſimul cum illis, tota poſteritatis familiæque propagandæ ſpes occidit.

15. Quid tum? Nempe is nobis poſt interitum labor erit: ea cura in æternitatem iam tranſcriptos vrgebit, neminem in terris ſupereſſe noſtri nominis, atque ſtirpis hæredem?

16. Præterquamquòd, etiamſi poſteritatis ſpes in ſobole ſupereſſet; quandiù tandem ea incolumis foret? Paulò quidem ſeriùs, ſed tamen aliquando deficeret: cum non modò tot illuſtres olim familiæ, primariæque Vrbes occiderint, ſed ipſummet Mundum, in quo minores reliquas mutabilium rerum deceſſiones, ſucceſſioneſque peragi cernimus, ſuus tandem interitus maneat. Vt planè ridiculum ſit, tantas inter ruinas, vnius familiæ excidium lugere.

17. Solatia indignantibus, abeſſe ſibi nominis, famæque claritudinem, qua alios fulgere intuentur.

18. Neque enim ſolida felicitas vllius indiget famæ præſidio: niſi fortè minùs plenam Dei beatitatem fuiſſe arbitramur æterno illo tempore, quo, ante rerum procreationem, vnus ipſe ſuorum ſibi decorum teſtis, externâ omni gloriâ penitùs caruit.

Quam-

19. Quanquam nec opus exempla tam ſublimia conquirere: cum plurimos intueri paſſim homines liceat, qui, procul ab omni famæ pompâ, atque ſtrepitu, tranquillam in obſcuro vitam, alijs opibus lætiſſimi, degunt.

20. Parum tamen foret ad gloriam ſpernendam, quòd abeſſe citra pacis, lætitiæque poſſit iacturam. Plus eſt, quòd adeſſe citra illius perturbationem vix poſſit, aſſiduis nimirum, moleſtiſſimiſque æmulationis, inuidiæ, timoris, idque genus curarum aculeis animum fodiens, ac vetans quieſcere.

21. Adeo ut non modò abſens, tanquam ſuperuacuum munus, deſideranda minimè ſit; ſed vel vltro ſe offerens declinanda, tanquam grauiſſimum onus.

22. Solatia ijs, qui non ſolùm ſe gloriâ carere; ſed ludibrio inſuper eſſe, atque irriſui queruntur. Vel enim id genus ludibria ſuâ culpâ; vel immeriti ſubeunt. Si primum; nulla eſt cauſa iraſcendi, pro ſuo merito acceptis, quin potiùs gaudendi, quòd ex aliorum cenſurâ ſuorum fœditatem vitiorum, cautiùs ea deinde vitaturi, cognouerint.

23. Sin nullum ob ſuum meritum, ſed fortuiti cuiuſpiam, externique causâ petulanti à vulgo irridentur; vaniſſima eiuſmodi ludibria, vtpote à ſtultis profecta, facilè Sapienti erit, citra moleſtiam, tranſmittere. Quis enim aut inſanire vulgum neſciat; aut inſanorum conuicijs, niſi amens & ipſe, commoueatur?

24. Deſpiciendam igitur in ijs fatuitatem animi eſſe, qui nos ob corporis ſpeciem deſpiciunt: cauendumque, ne, vanas ſtultorum irriſiones iniquiùs ferentes, iuſtam Sapientibus

No-

Noſtri irridendi cauſam præbeamus.

25. Nihil quippe fatuo hoc dolore deformius, & ridiculum magis.

26. Neque indignandum, quòd vel Sapientum quiſpiam, ob externa noſtri corporis vitia, interdum ſubrideat: cum eiuſmodi riſus naturæ potiùs ſpontè in oris ſuperficie naſcatur; quàm ex altiore iudicio, animique contemptu deſcendat.

27. Quin & operæpretium fore, ſi nos ipſi in noſtra id genus vitia iocari aſſueſcamus, tum hilaritatis gratiâ; tum locum, & anſam alienæ in ea dicacitati erepturi.

28. Denique imbecilli nimiùm animi eſſe, leuiſſimo riſu, & futilibus verbis percelli, atque deijci.

29. Cum vir Fortis, & Sapiens adeo nihil inde commoueatur; vt neque in gloriâ ſibi ponere tam exiguæ, ſpernendæque rei victoriam dignetur.

30. Solatia grauiorum contumeliarum, quæ ad ictus, & plagas proceſſerint. Nam neque hic iracundiæ cauſam adeſſe, quaſi à vulgo affecti ignominiâ fuerimus: cum ille, ex furore magis, quàm ex iudicio ſæuiens, non veriùs iniuriâ afficere quemquam poſſit, ac mulus calce percutiens.

31. Quocirca par eſſe, vt citra iracundiæ ſenſum id genus offenſas feramus, non ſecus, ac lapſum è ſcalis, vel fortuitum aliud vulnus ferremus: gnari ex alienâ ſtultitiâ nec maiorem ictui grauitatem, nec vllam icto ignominiam accedere. Immo tunc ſolùm nos deprimi, & infra lædentem conſtitui, cum iniuriâ, & dedecore nos affectos, iraſcendo, profitemur: contra

Digitized by Google

contra verò ſuperiores hoſti eſſe, quandiu illius auſus deſpicimus.

32. Oſtenditur hac occaſione Sapientem nunquam affici iniuriâ.

33. Debere illum proinde, cum extra iactum iniuriæ ſit; extra iram quoque eſſe, ac ſtudium vindictæ.

34. Præterquamquòd, etiamſi veram accepiſſet iniuriam; non aliâ eam ratione vlciſci aptiùs poſſet, quàm illius authorem, tanquam irâ indignum, ſpernendo: cui contra, ſi iraſcitur, honoris plurimum defert, talem nimirum ſuâ confeſſione declarans, vt vel Sapientem afficere contumeliâ poſſit.

35. Alia ratio, cur vindictam Sapiens non quærat: quia iniuſtè lædens multò eſt, quàm læſus, miſerior, adeoque nunquam inultus, vtpote quem ſuum ſcelus externo quouis ſupplicio grauiùs afficiat.

36. Denique, quia vltio de hoſte ſumpta nullum affert vulneribus ab eo inflictis remedium.

37. Colligitur itaque, non de ijs, qui exteriùs lædere conati nos fuerint, hoſtibus vltionem quærendam, ſed in noſtram iracundiam, & vlciſcendi auiditatem, tanquam in capitaliſſimum animi hoſtem, pugnandum, deque huius intimi potiùs, ac grauiſſimi vulneris cogitandum medelâ, quàm de leuioris, externique alterius vindictâ.

38. Exilij ſolatia.

39. Primò, quia, quandiu in terris agimus, vbicunque tandem locorum, extra veram hominis Patriam ſumus, adeoque exilij locum potiùs mutare, quàm in exilium eijci, poſſumus.

Se-

Digitized by Google

40. Secundo, quia, ſi nihil demum eſt exulare, niſi à natali ſolo abeſſe; magna pars hominum ſponte ſibi exilium conſciſcit: cum, non modò plurimi à ſuis procul cunabulis vitæ ſibi deligant ſedem; verùm & populi ipſi, natiuis valere ſedibus iuſſis, in externas procul emigrarint colonias.

41. Tertiò, quia indecorum videtur, in Orbis terrarum vniuerſi poſſeſſionem creatos vnius certæ regionis anguſtijs Patriam ſuam definire, reliqua verò ſpatia omnia pro alienis & ad ſe ſe nihil pertinentibus ducere.

42. Neque obijciatur, aſperum naturâ exilij locum, & inamabilem eſſe. Nam & veteres ibidem indigenæ libentiſſimè viuunt; nec vlla eſt tam infelix Regio, quæ non aliquâ peculiari dote cæterarum inopiam rependat.

43. Solatia carcere incluſis, moleſtèque ferentibus tum loci fœditatem, & libertatis iacturam: tum, quòd inſontes id pœnæ ſuſtineant.

44. Nam primò innocentia ad leuandum potiùs valet, quàm ad aggrauandum mærorem ſupplicij.

45. Ad ſqualorem verò loci quòd attinet, adeò hic Sapientis dignitatem non maculat; vt ipſius magis ſplendore illuſtretur.

46. Mentis demum libertas non modò nullis cohibetur cuſtodijs; ſed ſecreto in receſſu plus etiam facultatis, ad ſibi, honeſtiſque artibus [illegible] nanciſcitur. Cuius rei nobile do[illegible] Seuerinus Boethius in Ticinenſi [illegible]ibuit.

[illegible]c igitur ex cuſtodiâ ſuâ fructum [illegible], næ ille tum pœnæ ſibi ſenſum le[illegible] effici[illegible] gratias etiam agere iudi-

cibus

Digitized by Google

cibus poterit, quòd, deſidiæ remotis illecebris, felici ſe quâdam neceſſitate ad meliora compulerint.

48. Naturalium damnorum, & pinguioris primùm ingenij ſolatia.

49. Eſto quippe egregium ſit munus ingenij præſtantia; non exigua tamen Tranquillitatis, lætitiæque impedimenta ſecum ferre conſueuit: tum quòd mordacibus animos ſtimulis ad æmulationem, & laudis certamina impellat, queis nihil Quieti inimicius:

50. Tum quòd infinitâ, nec vnquam explebili vlterioris doctrinæ ſiti, qua nihil moleſtum, & anxium magis, mentes diſcruciet.

51. Adde, quòd, etſi nihil tranquillitati animorum per hoſce ſibi innatos affectus obeſſet; minimum tamen ad eandem ſuis quibuslibet fructibus confert. Quid enim multiplici, & & variâ tot artium, ac rerum, maximam partem inanium, notitiâ ad ſecurè pacatèque viuendum ſit opus?

52. Humanæ igitur curioſitatis plùs nimiò ſolicitus in ſuperuacuis addiſcendis labor reprehenditur.

53. Mærentibus ob corporis deformitatem ſolatia.

54. Nemini enim, quàm ipſis, magis vitandum mærorem: cum illius tetricitate turpitudo augeatur.

55. Vitari porrò eum facilè poſſe, ſi intueantur tot illuſtres Viros, quorum gloriæ deterior forma nil obfuit.

56. Præterea ſi cogitent, oris ſpeciem, quæcunque illa ſit, ad ſpectatores duntaxat pertinere: ſuamque adeo deformitatem alijs ſolùm

tri-

triſtitiæ occaſionem præbere, à quibus cernatur, non ipſi ſmet, quorum oculos fugiat.

57. Neque commoueri eos debere vulgi contemptu, & faſtidio: quin potiùs gaudere, quòd nullos habituri eâ de causâ ſint, niſi ſapientes Amicos, quique ſe potiùs, quàm externam Sui diligant ſpeciem.

58. Solatia Alijs, quos valetudinis imbecillitas angit.

59. Si enim hoc vitium externis obeundis muneribus ineptiores facit; at nobiliora mentis miniſteria non præpedit: quæ ſatis eſſe cuique poſſunt, etiamſi ad alia inferiora minùs idoneo.

60. Deinde, quia virium infirmitas præſtantiorem ſæpe indolem arguit: cum in naturâ videamus, quæ pretio excellant, fragiliora plerunque eſſe vulgaribus.

61. Poſtremò, quia nimiæ vires ad temeritatem, & praua conſilia incitamento eſſe ſolent.

62. Cæcorum ſolatia, & primum, quia, ſi non oblectantur iucundis; neque triſtibus etiam terrentur ſpectaculis.

63. Secundum, quia plurima ijs abſunt incitamenta peccandi.

64. Tertium, quia multorum criminum etiam facultas, cum oculis, tollitur.

65. Quartum, quia expeditiorem ad ſublimia contemplanda mentis vim habent, nobilioribuſque adeo ſpectaculis, quàm videntes, fruuntur.

66. Æquo igitur animo ferendam cæcitatem eſſe ex dictis colligitur, & Democriti exemplo affirmatur.

67. Inter corporis cruciatus, & dolores ſolatia.

Quam-

68. Quanquam non ea hic ſpondemus remedia, quæ omnem ab animo, & vultu ægritudinis ſenſum, ac ſpeciem excludant. Nam id fortitudinis inſolitæ genus, à Chriſtianis Martyribus pluries exhibitum, ex gratuito Dei dono poteſt contingere, non humanæ artis præſidio parari.

69. Hoc igitur ſolùm conamur euincere, vt dolor quicunque, ſi minùs hilariter, & citra gemitus; at viriliter ſaltem, & citra imbelles querelas, animique deiectionem, feratur.

70. Cuius conſtantiæ ratio in promptu eſt. Nam vel mediocris vrget dolor; vel ſummus: Si mediocris; pudeat Virum fortem ab eo ſuperari: cum in tali certamine querendum potiùs ſit, parum eſſe gloriæ, quàm multum laboris.

71. Sin verò ſummis idem viribus premit; ipſamet illius magnitudo erigere animum debet: vt dignum aduerſarium, capacemque nactus expromendæ campum virtutis, non grandibus ſolummodo verbis, ſed paribus etiam exemplis Sapientem ſe probet.

72. Nec minimùm ea quoque cogitatio valebit, ijs nos cruciatibus à Deo Parente amantiſſimo ad meritorum, gloriæque incrementum exerceri, æterna breuiſſimæ perpeſſionis præmia iam iam relaturos.

73. Vicinæ mortis ſolatia: & primum quidem ex plurimis, aſſiduiſque mortalis æui laboribus, quos qui grauiter fert, eorum finem in remedijs potiùs, quàm Malis numeret, neceſſe eſt.

74. Thracum, & Saguntini pueri exempla in hanc rem afferuntur.

Quo-

75 Quocirca ſibimet contradicere, qui de vitæ tum ærumnis, tum breuitate queruntur: cum è contrario, ſi vita eſt optabilis, illâ frui; ſi miſera, illius breui fine ſolari ſe liceat.

76. Alterum mortis ſolamen, quòd vitam non tollit Sapienti, ſed in melius commutat. Nam animus immortalis eſt, nihilque ardentiùs exoptat, quàm, terrenis effractis compedibus, ad authorem ſuum ferri: vt hinc conijcere futuram illius liceat lætitiam, tam flagranti demum voto per mortem potiti.

77. Votum animi terrena pertæſi, & à mortali hoc exilio immortalem ad Patriam quamprimùm tranſire anhelantis.

78. Parænesis ad mortem, vt ne nobis tanti muneris ſortem longiùs inuideat.

79. Colligitur ex dictis, mortis neceſſitatem adeo non debere nobis eſſe cauſam mæſtitiæ; vt vel vna omnes vitæ mortalis ærumnas ſat poſſit lenire.

LIB. V.

De interioribus, quæ à Stultitia proficiſcuntur, malis, deque illorum remedijs.

1. A Fortunæ Malis, quibus opem tulimus, non quidem ea depellendo, ſed opportunis duntaxat fomentis leuando, ad ſtultitiæ iam Mala progredimur, longè grauiora, & quibus, vnica ſit ſalus, carcre: vt propterea oppoſitam penitùs medicinæ rationem requirant: nec, vt priora, extenuari verbis debeant, quò leniùs ferantur, ſed grauiſſima potiùs oſtendi, quò ſtudioſiùs vitentur.

2. Eorum itaque, vbi frænis ſoluantur, immanis pernicies, Phaetontis ſub exemplo, generatim proponitur.

3. Tum ſingulorum nominatim vis, atque furor deſcribitur: initio ab Irá deſumpto, eiuſque violento, ac præcipiti ingenio palàm oſtenſo.

4. Vnde pronum colligere, quàm triſtis, & miſerandus ſit animi habitus, qui tam impotenti ſe Furiæ permiſerit.

5. Confirmatur hæc animi perturbatio horrendis, & inſaniſſimis motibus, quibus ipſummet Iratorum corpus agitari conſueuit.

6. Adduntur barbaræ cædes, prouinciarum excidia, ſuppliciorum ingenioſa, & pluſquàm ferina crudelitas, idque genus teterrimi effectus, in priuatam, publicamque perniciem ex Irâ manantes.

Digitized by Google

7. Quorum rabidam vim ne ipſis quidem Iratis ſemper licuit euadere: alijs dementiâ, præcipiti Alijs morte correptis: vt Aiacis, Syllæque exempla teſtantur.

8. Diſſimillimum Iræ Amoris improbi vitium, externam ſi ſpeciem intuearis: quæ huic ridibunda, illecebroſa, & ad omnem amœnitatem compoſita.

9. Sed nihilo tetrum, ac ferale minùs inuenies, ſi penitùs introſpicere arcanos cruciatus libeat, quibus deditas ſibi mentes miſerrimè abſumit.

10. Neque putandum, marcidi, & ſomniculoſi veneni genus hoc eſſe. Nihil illo truculentius, nihil in furias, in ſanguinem, in cædes proiectius, vbi quidquam ſuæ libidini obſiſtat.

11. Documento ſit furor, quo Brutarum Animantium corda ſuccendit.

12. Deteſtatio tam peſtiferæ luis, per enumerationem Malorum, quæ humano generi plurima, & grauiſſima infert.

13. Ambitio poſt Amorem ſe obijcit, ſplendido & ipſa cultu oculos rapiens.

14. Cum tamen nullus Tyrannorum grauiori, quàm illa, ſeruitutis iugo ſubiectos oppreſſerit, facultatibus violentiùs exuerit, durioribus imperijs vexauerit, in plura, & ſæuiora diſcrimina præcipites egerit.

15. Quam Ambitioſorum miſerrimam ſeruitutem multò etiam intolerabiliorem facit ſtipendij tenuitas: cum non modò nihil ſolidi fructûs ex tot laboribus capiant; ſed neque ipſam famam, leuiſſimum cæteroqui, & inane præmium, ſynceram, atque plenam obtineant.

16. Teſtantur id duo cum primis famoſa

Am-

Digitized by Google

Ambitionis mancipia, Annibal nimirum Italiæ terror.

17. Et Macedo pluſquàm vnius Orbis prenſator: integram neuter quantocunque conatu famam adeptus.

18. Quis igitur manifeſtò non videt, quàm ſolicitus, æger, ac quietis ignarus huiuſmodi hominum animus ſit: dum famam per tot expetitam labores, & in qua omnem vitæ fructúm conſtituunt, adeo ſibi curtam contingere; contra verò iniquis hominnm iudicijs, quæ, tanquam extrema ſuppliciorum, formidant, aſſiduè notari ſe ſentiunt: nec vllam aut hæc prorſus vitandi; aut illam plenè aſſequendi, vel ſi rumpantur, rationem aſpiciunt?

19. Præſertim verò cum eum ſcopum à ſuâ ſibi Ambitione propoſitum habeant, vt non quamcunque ſolùm referant gloriam; ſed neminem vel ſummorum hominum in eâ parem, atque æmulum habeant: cuius certaminis & ſumma difficultas, & nulli ſperabilis victoria.

20. Querela de Ambitione, deque publicis, & funeſtiſſimis cladibus, ab eâ Orbi terrarum per ſummum toties nefas illatis.

21. Quorum luculentum ſpecimen ex ciuili bello, à Iulij Cæſaris Ambitione excitato, deſumitur.

22. Omiſſis poſtremò inteſtinis alijs animi morbis, Euthymiæque hoſtibus, habendi nimirum cupiditate, triſtitiâque, & inconſulto timore, quorum vim iam antea in ſuperioribus libris retudimus; grauiſſimi cruciatus, terroreſque explicantur, quibus admiſſi criminis conſcientia aſſiduè improbos vexat, & de poteſtate mentis quodammodo dimouet.

Digitized by Google

23. Adeo ut nulla deliciarum,& fortuitorum Bonorum copia, exhilarandis tam dira inter tormenta miſerorum animis, proſit.

24. Qua de re Dionyſius Tyrannus,& Tiberius Cæſar dubitare neminem ſinunt.

25. Explicatâ iam huiuſcemodi Peſtium teterrimá indole, quæ omnibus incitamento ſit, vt eas velint ab animo excludere; afferenda deinceps ſuperſunt præcepta, quibus quilibet inſtruatur, vt id norit præſtare. Si enim ad firmam voluntatem certa etiam diſciplinæ acceſſerit ratio; non minor hic referetur de Stultitiâ, quàm relatus in ſuperioribus libris fuerit de Fortunâ triumphus: omnibuſque adeo tum externis, tum interioribus perturbationum cauſis ſublatis, nihil iam ſupererit, quod animi quietem ſolicitet.

26. Reuocato itaque ad Iram diſputationis curſu, cauenda primò præcipimus, quæ illi fomitem, atque anſam ſuppeditant.

27. Non tamen ſolicitâ vſque adeo diligentiâ, vt in ſuperſtitionem degeneret, cæcoque timore, vel ab neceſſarijs, & honeſtis muneribus obeundis nos auocet.

28. Sat erit vniuersè in occupationibus modum tenere; ne vel ipſæ nimiâ multitudine, & aſſiduitate animum; vel animus nimiâ in ijs contentione ſe premat.

29. Accedat huc circumſpectio in deligendis ſodalibus, quorum mores ad mutuam concordiam ſint apti.

30. Et quia neque ab occupationibus, neque à ſodalibus plus præberi occaſionis iracundiæ ſolet, quàm ab animi ipſius, delicato nimis cultu inſtituti, mollitie; illud curæ potiſſimùm

ſit,

ſit, vt genio interdum contradicere, durique aliquid, & cum natiuâ illius propenſione pugnantis vltro ferre aſſueſcamus.

31. Non tamen exiſtimandum ita hæc à nobis præcipi, quaſi vel noſtrâ, vel humanâ quauis arte omnes omnino iracundiæ occaſiones amoueri poſſe arbitremur. Artis quidem, prudentiæque opus eſt, quoad fieri poſſit, illas minuere; fortitudinis verò, & conſtantiæ, quæ præcidi nequeunt, viriliter ſuſtinere. Quod vt fiat, magno erit adiumento, quidquid bilem in rebus gerendis concire poſſit, animo ante proſpicere, meditatoſque, & ad omnia ritè inſtructos in arenam prodire.

32. His adeo, ad pugnam vel cautè ſubmouendam, vel fortiter excipiendam, comparatis in anteceſſum præſidijs; reliquum eſt eas artes depromere, quibus Ira iam cominus Rationem aggrediens, & in præcordijs excitata vincatur. Proderit primò meminiſſe, quàm fœda, & indecora ſit irati hominis facies, quàm ſtultæ voces, quàm turbulenti, & ridiculi motus: vt illius ſaltem fœditatis nos pudor contineat, ne, præter Decorum furioſè bacchantes, irriſui ſpectantibus ſimus.

33. Tum hæc pugnæ ratio tenenda, vllo ne dicto, factoque iræ indulgeamus. Nam illam ſuſtinere, viciſſe eſt: cum nihil aliud quàm impetus ſit, adeoque, niſi ſtatim deiecerit hominem; breui morâ langueſcat, per ſe ſeque deficiat.

34. Neque ſolùm conandum, ne aliquid ex Irâ, ſed etiam ne aliquid, ad quod Ira quoque incitare poteſt, tunc decernamus: cum vix hoc ab illo ſoleat diſtingui, licet ſecus in

eâ mentis perturbatione videatur. Conſultiſſimum igitur erit, dare rationi ſpatium, & ea, ad quæ tum animus ardens impellit, aliud in tempus, ſedatâ mente, perque otium retractanda, differre.

35. Poſtremò maximi ad victoriam momenti tunc erit, animi perturbationem ita penitùs tegere; vt non modò nulla ipſius ſigna foris emineant; ſed contra vox, vultus, motuſque omnis hilaritatis, & pacis ſpeciem præſeferant. Breuiſſimè enim ſcenica illa ſimulatio in rei veritatem, & in animi habitum exterior facies tranſibit.

36. Sed parùm efficacitatis in allatis huc vſque præceptionibus fuerit, ſi vitio carere iracundiam, quin & multùm prodeſſe opinemur. Contrarium hic ergo ſtatuitur: & primò nec iuſtam, nec vtilem eam eſſe in puniendis delictis probatur: cum præceps ac turbida non facilè iuſtum vltionis modum, atque ordinem teneat, qui tunc optimè ſeruatur, cum, vacuo à perturbationibus animo, ad ſolius rationis præſcriptum puniuntur delicta.

37. Præterea, cum nemo ſit prorſus criminis purus; id ius, atque ratio videtur exigere, vt quales quiſque aduersùs ſua crimina iudices, miſericordes ſcilicet potiùs, quàm iratos deſiderat; talem aduersùs aliena ſe & ipſe iudicem præbeat.

38. Immo, vel ſi nullius quis foret criminis conſcius; adhuc minùs iuſtè iraſceretur peccantibus: cum eos miſerari potiùs hoc nomine, tanquam infeliciſſimos, debeat, Medici exemplo, qui Ægrorum putria membra non iraſcens, at inuitus, & miſerans ſecat.

Deni-

39. Denique, licet vultùs, vociſque iracundia improborum contumaciam terrore compeſcat; non tamen propterea conficitur, conſentaneam eſſe rationi iracundiam: cum illius ficta in vultu, atque voce ſimulatio ad ſalutarem hunc incutiendum terrorem, citra vllam animi perturbationem, ſufficiat.

40. Secundò, neque expeti, laudarique poſſe Iram, oſtenditur, tanquam ad difficultates fortiter ſuperandas ſit Virtutis, atque animi calcar. Nam nihilo ſeciùs ad ardua quæque inuadenda, & ſtrenuè ſuperanda nudæ honeſtatis reſpectu incitari animus poteſt.

41. Immo vel hinc Iræ pernicies colligitur, quòd immodico ardore, vltra legitimos fortitudinis limites, vel aperta in exitia, quos corripuit, impellat: cum Ratio validos quidem, ſed prudentiâ temperatos, adeoque ſalutares, habeat impulſus: confirmaturque id Fabij Maximi exemplo, qui, cunctando, iræque obſiſtendo, rem Romanam reſtituit.

42. Succedunt iam praui Amoris, ſeu Libidinis veriùs remedia. Hoc enim aduersùs fœdiſſimam luem in primis profuerit, ſplendidum, quod iniquiſſimè vſurpauit, quoque veluti fuco innatam turpitudinem velat, Amoris illi nomen detrahere.

43. Quin oppoſitam adeo de illius fœditate ſpeciem imbibere; vt vel mentio, vel recordatio nauſeam, atque horrorem commoueat.

44. Quanquam neque huic odio nimis fidendum: cum nihil eâ peſte fraudulentum, & illecebroſum ſit magis, nihil, quod mutare celeriùs, ſuamque in ditionem redigere vel Victorum, Heroumque animos ſoleat.

45. Cuius rei documenta, Sampſon, Dauides, & Iacobus Eremita afferuntur.

46.契Supereſſe igitur, vt, qui tutus in hac pugnâ eſſe velit, omnes hoſti fallaciſſimo aditus diligentiſſimè obſtruat: oculis primò ſolerti cuſtodiâ vallatis, ne venefico faſcinentur aſpectu.

47. Auribus ſecundò ad Sirenias quaslibet incantationes occluſis.

48. Tertiò librorum Cupidinea tractantium ſibi penitùs lectione interdictâ.

49. Omnibus tandem declinatis eorum, qui mortiferâ huiuſmodi ſcabie inficiuntur, commercijs.

50. Nihil tamen magis cauendum, quàm, vt ne animus, ſub Venereæ titillationis exortum, ſui morbi initijs conniueat: ſed prima illa contagionis veneniferæ ſemina eâdem, atque adeo promptiori, quàm illapſum gremio ignem, celeritate excutere, atque opprimere ſtudeat.

51. Ad quod ritè præſtandum plurimùm conferet, honeſtis ſe curis aliò auocare, otiumque, quo maximè Cupidinis nequitia fouetur, effugere.

52. Vltimum, ſed præcipui vsùs, monitum ſit, Diuina crebro auxilia implorare, illiſque ſolummodo in ancipiti adeo certamine, tantâque humanæ conditionis imbecillitate confidere.

53. Iamuerò ad Ambitionis remedia quòd pertinet; facilè ab illius ſe tyrannide animus vindicabit; ſi primò, quæ de laborioſâ huiuſce vitij ſeruitute, vanâque, & exiguâ mercede ſupra memorauimus, in animum altè demittat, aſſiduèque ante oculos habeat.

54. Secundò, ſi fictæ illi generoſitatis laruam detra-

detraxerit : cum reuerâ nihil eſſe ambitioſi hominis indole abiectius pluribus ex argumentis liquidiſſimè pateat : tum quòd non vni, ſed innumeris Dominis ſe ille vltro ſubmittit, eorum nutus obſeruans, gratiam captans, reprehenſionem formidans, eque arbitrio ſuſpenſam felicitatem ſuam habens.

55. Tum quòd veræ magnanimitatis ignarus leuiſſimo pretio ſudores ſuos licitatur, minimâ popularis auræ mercede & illos ſatis repenſos, & ſe affatim beatum exiſtimans.

56. Tum quia ſuum gloriæ ſtudium omnī arte diſſimulat, ne in riſus nimirum, & fabulam abeat, ſi deprehendatur, formidans : ipſemet adeo Ambitionem indecoram, ac luce indignam confeſſus.

57. Tertiò multùm etiam ad ſedandum famæ ardorem conducet, ſi ille error diſcutiatur, qui Ambitioſorum pleriſque ſolet imponere, omnium oculos in ſe eſſe conuerſos, omnium per ora ſuum nomen volare, omnium mentes Sui admiratione occupari, per voluntarij cuiuſdam ſomnij ſpeciem, ſingentibus.

58. Quo errore nihil inanius : cum hominum ſibi quilibet vacet, de alijs ſecurus, & parciſſimè cogitans : vt Cicero ſuomet experimento intellexit.

59. Idque adeo duplici etiam argumento probatur : primò, quia nihil eſt cauſæ, cur ſperemus maiori Alijs curæ nos fore, quàm nobis ij ſint. Iamuerò quiſque ſibi eſt optimè conſcius, quàm rarò, & remiſsè de Alijs ſeu loquatur, ſeu cogitet : quàm paucos ex tot præſtantibus per Orbem Viris vel tenui ex famâ cognitos habeat : quàm multa in ijs etiam, quos

nouit, deſideret, ac reprehendat.

60. Alterum argumentum eſt, quia non multùm ſeu obſeruare, ſeu mirari ſolemus, niſi eos, qui noſtrâ in profeſſione videntur excellere: his verò æmulatio iniquiores nos iudices facit. Vt profectò vix vlli Mortalium eximiam apud homines, partim incurioſos, ſi alieni ſint; partim obtrectatores, ſi ſocij, laudis, atque famæ celebritatem liceat referre: ſtultumque adeo videatur, pro re tam incertâ, atque tenui, tot laboribus, & curis vitam abſumere.

61. Statuitur poſtremò, non magni operis eſſe inexpertam, atque abſentem gloriam negligere: difficillimum verò eiuſdem, vbi acquiſita ſemel fuerit, ſeu conſeruandæ, ſeu amplificandæ curam prorsùs exuere.

62. Idque adeo petitis è communi vitâ experimentis probatur.

63. Vnde pronum cuiuis colligere, quàm ſolerti ſtudio ab ijs cauendum compedibus ſit, quibus ſemel obſtricto vix vlla recuperandæ in poſterum libertatis ſpes ſupereſt.

64. Hortatio ad ſtrenuè pugnandum cum huiuſmodi vitijs, quorum victoria à criminum pariter ſtimulis quietem conſcientiæ præſtabit, nullumque adeo inteſtinum hoſtem, à quo tranquillus animi ſtatus euertatur, relinquet.

65. Huius porrò interioris belli, palmarumque, quas in eo colligit virtus, exemplum proponuntur recentes, inuictiſſimi Cæſaris LEOPOLDI Othomano de hoſte victoriæ.

LIB.

LIB. VI.

De Interioribus, ac ſolidis Bonis, quæ animi Tranquillitatem abſoluunt.

1. CVm vera, & ſolida animi Bona in Sapientiâ, & Virtute ſint poſita; nonnulla Virtutis, Sapientiæque præcepta, ad animi Tranquillitatem ſtabiliendam, & abſoluendam vtilia, tanquam operis inſtituti coronis, hoc in libro adiunguntur.

2. Primum Præceptum, In vitæ curriculo multitudinis cæcæ, perque deuia, & abrupta ſine conſilio vagantis, auſpicia non perſequi.

3. Neque enim errorem ideo minùs prauum, & noxium eſſe, quia erretur cum multis.

4. Sapientem igitur, Solis exemplo, contra Mundi curſum, proprio ſibi motu, atque tramite eniti.

5. Secundum, In Diuina, atque æterna mentem attollere, &, quantùm fieri poteſt, defigere.

6. Illorum enim occupatus magnitudine, animus, quidquid ex mortalibus Bonis maiorum ignoratione eximium putatur, nullo iam negotio deſpiciet.

7. Nec ſecus præſentis vitæ aſpera omnia, beatiſſimam, & iam iam adfuturam immortalis æui ſortem proſpiciens, facillimè perferet.

8. Tertium, Conditioni, quam Deus, & Natura aſſignauit, omiſsâ alienæ ſortis inuidiâ, acquieſcere.

9. Quod factu procliue erit, ſi, contra Stul-

torum morem, noſtræ ſortis fructus, alienæ verò onera contemplari diſcamus.

10. Nullum quippe Vitæ genus occurrere, quod omni fructu, omni incommodo careat, & vnde Sapiens lætitiæ argumenta; ſtultus mæroris cauſas non ducat.

11. Neque indignandum proprio ſtatui, quòd naturâ obſcurus, atque ignobilis ſit: cum vbiuis Sapienti gloriæ campus pateat, vt Epaminondæ, aliorumque præſtantium virorum exempla teſtantur.

12. Vitam quippe hominum dramati ſimilem eſſe, in quo non plus laudis refert, qui præſtantiores partes accepit, ſed qui ſuas, quæcunque illæ ſint, concinniùs gerit.

13. Quartum, In propoſitis conſtanter hærere: cum alienum prorsùs à Sapientiâ ſit, nouitatis illecebrâ, vel cœptorum tædio à ſuſceptis ritè conſilijs in diuerſum traduci.

14. Quæ leuitas pluribus in exemplis deſcribitur, primò Hominis loca mutantis.

15. Tum mercatoris ad lucra, quæ in periculo damnarat, ſtatim redeuntis.

16. Philologi demum iam hæc, iam illa ſtudia amplectentis.

17. Huius porrò mutabilitatis origo ea poſſe videtur afferri, quòd homines in rebus, quas tractant, non verò in ratione eas tractandi ſuam quietem conſtituunt.

18. Quocirca corrigendum eiuſmodi errorem, penſandumque initio maturè, quid facto opus ſit: vbi Ratio hoc, vel illud perſuaſerit; ab eo nihil mox deflectendum, quæcunque ſe in operis progreſſu moleſtiæ, & difficultates obijciant.

Quin-

19. Quintum, Non impetu ſubito, ſed prudenti iudicio ad agendum moueri.

20. Licet enim graue initio ſit, genij ardorem compeſcere; duriùs tamen multò eſſe, per quæuis præcipitia, & abrupta impotenti illius libidine auferri.

21. Præſertim verò cum animus ſeuerè aliquandiu habitus paulatim contumaciam imminuat, & tandem Rationis imperium pati condiſcat: equini inſtar pulli, qui domitus Rectori ſe facilem præbet: contra verò indulgenter diu habitus vix vllâ deinde vi ad parendum poteſt induci.

22. Sextum, Nihil admittere, cuius nos peracti ſerò deinde pœniteat. Stultorum enim eſſe, quidquid animo in præſens arrideat, ſine vllo Malorum indidem profluentium reſpectu, ſtatim inuadere.

23. Quæ Stultitia in voluptarijs, ambitioſis, & iracundis hominibus luculentiùs intuenda proponitur.

24. Quin ipſius etiam Epicuri teſtimonio damnatur.

25. Septimum, Vitam, animique quietem non differre.

26. Nihil enim hac dilatione eſſe ſtultius: cum nulla tempora animi otio idonea non ſint.

27. Idque ſerò à multis animaduerti ſub exitum vitæ, ſuum errorem damnantibus, quòd, vanâ futuræ quietis ſpe, irritum, aſſiduas inter curas, & occupationes, æuum perdiderint, & fruenda dum parant, ſe omni vitæ fructu priuauerint.

28. Octauum, Animi otium cum honeſtis occu-

occupationibus, vitæque miniſterijs coniungere.

29. Id verò facilè præſtaturum, qui neque plus iuſto ſibi occupationum, & laborum aſſumat, neque illis ob ſpem lucri, vel gloriæ, ſed vnius honeſtatis gratiâ mentem, atque corpus exerceat. Sic enim liber, Suique, & rerum potens ſapienti ratione omnia temperabit: neque ſe negotijs ſeruili anxietate ſubijciet, properans opus abſoluere, veluti tum demum illius fructum collecturus: ſed, quæ aget, ſibi, ac ſuæ tranquillitati coget ſeruire, ex ipſomet rerum actu lætitiam percipiens.

30. Nonum, Nihil vel honeſtarum, quæ extra hominis arbitrium ſunt, rerum iuſto vehementiùs optare.

31. Non quidem vt omni affectione animus careat, ſed vt tranquilla ſint vota, neque nimio anxioque ardore quietem perturbent.

32. Decimum, Superuacuas aliena obſeruandi curas compeſcere, vt quæ mæroris, iracundiæ, aliarumque perturbationum materiem ſoleant ſuggerere.

33. Quod ſi aliquid vltro in alienis ſe moribus, atque factis indignum obiecerit, cui mederi noſtrum minimè ſit; Diuino id iudicio relinquere, & à cogitatione, ac memoriâ quamprimùm expungere.

34. Non minimam ſiquidem noſtrarum moleſtiarum partem ex Alijs oriri, magnumque proinde earum compendium ab eo fieri, qui, in utili externarum rerum cogitatione dimiſsâ, ſibi norit vacare.

35. Vndecimum, Humanum omne genus fraterno amore complecti, eiuſque felicitatem,

non

non ſecus, ac propriam, pro virili curare.

36. Præclara benefici huiuſce animi documenta à Tito Cæſare, Cyro Perſarum Rege, & Cimone Atheníenſi exhibita.

37. Quibus ritè laudatis, nullum hac Boni communis procuratione, ſeu iucundiorem, ſeu nobiliorem eſſe opum vſum, atque fructum ſtatuimus.

38. Idque ſtudium ſi, pro eo, ac par eſt, in omnium animis vigeat; auream proculdubio, & beatam homines ætatem acturos.

39. Duodecimum, vltimumque, & par omnibus cæteris vnum felicis vitæ præceptum, Deo Opt. Max. per intimam contemplationem, amoremque coniungi. Nuſquam enim, præterquam in ipſo, perfectam animi requiem, ſatietatemque inueniri à Mortalibus poſſe.

40. Nam creatarum quidquid eſt rerum, vt plurimum Boni in ſeſe fruendum obijciat; plus tamen deſiderandum relinquit. Ipſe verò, cum omnium cumulatiſſimam Bonorum Summam in ſe complectatur, immo Bona, quæ concipi poſſunt, omnia in vnum prorſus indiuiduum, atque ſimplex colligat Bonum; nil Amantis in animo inexpletum, atque vacuum relinquit.

41. Adde, quòd alibi Bona ſemper Malis miſcentur, adeo ut ſyncerè, & contrario ſine animi motu, diligi nequeant. At ſummo in Bono nihil non bonum, nihil non vſquequaque, & toto pectore amandum.

42. Præterea cæterorum Bonorum, quemadmodum incerta, fragiliſque eſt poſſeſſio; ſic & amor ſolicitus. At Deum nemo rapit nolentibus: quin ipſa mors, quæ Bonis alijs diſpoliat, in huius nos pleniorem poſſeſſionem inducit:

Digitized by Google

ducit: vt proinde illius amor, quemadmodum odio, ſic & metu ſit vacuus.

43. Deum porrò paratam homini poſſeſſionem eſſe, ex maximo illius erga nos amore maniſeſtè colligitur. Omnis enim Amans Amati res eſt. Cum igitur effuſiſſimam ſupremi erga nos Authoris charitatem maxima ab eo nobis collata beneficia planiſſimè oſtendant; quidni, noſt rum itidem, dummodo velimus, eum eſſe, pari perſpicuitate demonſtrent?

44. Immò ex hoc eius maximo erga nos amore alia item ratio colligitur maximæ, quæ in ipſo amando reperitur, iucunditatis. Nam amor tunc iucundiſſimus, cum perfectè reciprocus. Nemo autem reciprocam ſe amantibus vicem liberaliùs refert, quàm Deus. Nam mortales Amici non totum Amico ſuum amorem impendunt; ſed eius ſibi retinent partem, partem etiam in alia deriuant. At ipſius amor totus, atque integer & indiuiſus ſingulos ſe amantium complectitur, nihilo minor ad quemlibet eorum perueniens, ac ſi ipſi tantùm vacaret: adeo ut certo certiùs perſuadere ſibi quilibet poſſit, nihil ſibi quantamcunque fruentium eâdem ſorte Sociorum turbam obſtare, quin pleniſſimè, integerrimèque à Deo ametur.

45. Denique, cum amor omnia faciat communia; qui mortalibus Amicis coniungitur, eorum aduerſos caſus, non ſecus, ac ſuos, lugeat neceſſe eſt. Quantò igitur illius lætior amicitia, qui plenè beatus nullam ex ſeipſo lugendi materiem ſuis amatoribus præbeat, ſed in ſuæ illos potiùs ſynceriſſimè immenſiſſimèque beatitatis communionem aſciſcat?

46. Neque quiſquam excelſum adeo fœdus, tan-

Digitized by Google

tanquam aliquid ſorte ſuâ maius, deſperet. Nam & ſupremus Author ad hanc ſecum neceſſitudinem ineundam vltro nos ſtimulat; & hominis animus ad eandem, ſuum velut ad finem, ſuauiſſimè rapitur. Quinetiam adeo neceſſarium quodammodò habet ſummi Boni amorem, vt illud, vel neſciens, in alijs quibuslibet rebus videatur appetere: cum nihil, niſi ratione Boni, appetat: Bonum verò quoduis, vnde creatæ res appeti poſſunt, nihil ſit aliud, quàm leuiſſima quædam ſummi Boni adumbratio.

47. Si igitur à rudibus ijs ſimulacris ad perfectiſſimum, æternumque intuendum exemplar mens tranſeat; nihil iam negotij ſupererit, vt totus quoque amor ad eandem illam omnis Boni, Pulchrique inimitabilem formam ſuas curas conuertat: qua nimirum præſente finitarum omnis rerum Venuſtas, multò magis, quàm ad Solis exortum nocturnus ſyderum fulgor, ex oculis deficit.

48. Tranquillus, & felix animi, Deo vni adhærentis, ſtatus generatim deſcribitur.

49. Eius aliqua effigies in ſanctiſſimis Ægyptiarum ſolitudinum accolis intuenda exhibetur.

50. Impetus animi, ſpectabilia, & creata omnia, prę immenſâ ſupremi Conditoris pulchritudine, faſtidientis; intimamque cum eo coniunctionem ardentiſſimè ſuſpirantis.

51. Eiuſdem imploratio, ſuum cæcis vt Mortalibus detegat iubar, omnium amores, vbi plenè agnoſcatur, in ſe vnum verſurus, vtpote qui omnimoda, & perfecta votorum ſit quies, atque cordis tranquillitas.

52. Cuius ſuauiſſimi nectaris venas omnes, ac riuos cum, quàcunque fas erat, noſter hactenus

nus indagauerit labor; nihil eſt, cur tendendum ſibi putet vlteriùs, ad inexhauſtum, puriſſimumque iam fontem deuectus, ex quo vno plena ſperari, hauririque tanti muneris poſſit ſatietas.

LAVS DEO.

Ad corrigenda, quæ irrepſerunt, errata, ſic leges:

Pag.	*Verſu.*	
5	6	exiguo
5	31	fòrs
6	31	oris
13	25	importuna
18	20	O vocem
23	16	Crœſi
24	27	fæce
38	9	tuendæ *ſine puncto.*
47	22	ſolers
48	9	maleſani
48	10	trepidans
51	7	claudunt
52	25	ſemperque
58	4	nocendi
59	16	pauendo
59	20	ſubibunt *ſine puncto ;*
81	27	cœperat
85	25	Hunc
105	23	breuibus
110	1	priores,
110	vlt.	*Quintil. lib. 11*
113	6	paratu *ſine puncto.*
125	10	auſu
144	23	extrinſecus
158	33	ſcelerum
194	9	cædis
205	20	infodio
209	34	ſumptus
227	36	Indociles

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google